# DE DEI NOMINE IUXTA HEBRAEOS COMMENTARIUS CRITICUS AUCTORE IOSEPHO MATANI...

Giuseppe Matani

10 · G · 11 10 · 5 · 312

# DE DEI NOMINE
IVXTA HEBRÆOS
COMMENTARIVS CRITICVS.

# DE DEI NOMINE

*IVXTA HEBRÆOS*

COMMENTARIVS CRITICVS

*AVCTORE*


## IOSEPHO MATANI

PISTORIENSI

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE IN EPISCOPALI SEMINARIO JVRIS CANONICI ET HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ATQVE IN PATRIO SAPIENTIÆ GYMNASIO PHILOSOPHIÆ RATIONALIS ET MORALIS PROFESSORE PVBLICO ET BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO ACADEMIÆ SACRÆ LVCENSIS ETRVSCÆ CORTONENSIS ET VARIÆ LITTERATVRÆ PISTORIENSIS SOCIO &c.



LVCÆ CIↃ. DCC. LXVII.

TYPIS JOSEPHI ROCCHII

*Præſidibus permittentibus.*

Proſtant Piſtorii in Typographio Atthonis Bracalii.

רבי אבא אמר חמינא דהא שמא קדישא כלא הוא שלום וכו׳ רשמא קדישא אתקשר בתלת קשרין ובגין דהא י׳ קוצא חד לעילא ד׳ קוצא חד לתתא׃ חד באמצעיתא׳ בגין דתלת קשרין אשתלשלו בה: חד קוצא לעילא; דא הוא עילאה סכל עילאין לאחזאה בתרא עילאה: והוא רישא דכל רישין והוא קאים על כלא: חד קוצא דאמצעיתא. דא הוא רישא אחרא דנפיק מקוצא דלעילא והוא רישא לכל שאר רישין לאתבנאה שמא קדישא: ודא רישא סתימא דכלא וכל חד וחד רישא כלהודו׃ חד קוצא תתאה׃ דא הוא רישא אחרא הוא רישא לאשקאה לנינתא והוא מבועה דמיין וכל נטיעאן אתשקיין מניה ודא הוא יוד בתלת קשרין ואתקשר דא בדא וכלא חד:

R. Meir Lib. דרך אמונה

Εἰ ἀηδὼν ἤμην, ἐποίουν τὰ τῆς ἀηδόνος, εἰ κύκνος, τὰ τοῦ κύκνου, νῦν δὲ λογικός εἰμι, ὑμνεῖν με δεῖ τὸν Θεόν, τοῦτο ποιῶ, οὐτ᾽ ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν ταύτην, ἐφ᾽ ὅσον ἂν διδῶται.

Epictetus apud Arrian. Diſſ. Epict. Lib. I. cap. 16.

VIRO. CELEBERRIMO. AC. PRÆSTANTISSIMO

DOMINO

IOANNI. CHRISTOPHORO. MARTINIO

PHILOSOPHIÆ. DOCTORI

ACADEMIÆ. SCIENTIARVM. CÆSAREÆ. FRANCISCANÆ

QVÆ. AVGVSTÆ. VINDELICORVM. EST

VT. ET. ROBORETANÆ. ET. HISTORIÆ. GOTTINGENSIS

ITEMQVE

DVCALIS. SOCIETATIS. TEVTONICÆ. HELMSTADIENSIS. COLLEGÆ

ET. ALTORFINÆ. A. SECRETIS. &c. &c.

PRIMAM. HANC. EDITIONEM

COMMENTARII. CRITICI

DE. DEI. NOMINE

IVXTA. HEBRÆOS

JOSEPHVS. MATANI

D. D. D.

IN. PERENNE

VENERATIONIS. ET. OBSERVANTIÆ

ARGVMENTVM.

***

כל שמותיו יתעלה הנמצאים בספרים כלם גזורים מן הפעלות זולת מה שאין . הכלם בו אלא שם אחד והוא יוד הא ויו הא שהוא שם מיוחד לו יתעלה : ולזה נקרא שם המפורש . ענינו שהוא יורה על עצמו יתעלה הוראה מבוארת אין השתתפות בו ובו : אמנם שאר שמותיו כמו שדי צדיק וחנון ורחום ואלהים כלם הם מבוארי הכללות והגזרה אה השם שאותיותיו יוד הא ויו הא לא יודע לו גזרה ידועה ולא ישתתף בו זולתו . אין דבר גדולת זה השם והשמירה מלקרא אותו להיותו מורה על עצמו יתעלה מאשר לא ישתתף אחד מן הברואים בהוראה החיא כמו שאמרו עליו זכרונם לברכה שמו המיוחד לי :

R. Moyſes Cap. LXI. lib. More.

# PRÆFATIO.

Optimus, amantiſſimuſque hominum Creator, ac Parens Judæorum Gentem ſibi veluti populum elegit, ac peculiari prorſus amore complexus eſt [a]: Etenim dum in Gentes iram ſuam effudit (b), Judæis ejuſmodi gratiæ, & miſericordiæ divitias largitus eſt, ut ad eos ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι, καὶ ἡ νομοθεσία, καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι adoptio, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa (c) pertinerent. Nationes illas, quæ ipſum diligere, ejuſque leges ſervare neglexerunt, manu fortiſſima expulit, malis affecit, atque è terra ejecit (d); ſed vineam de Ægypto tranſtulit, eamdemque ibi plantavit [e].

Il-

[a] Deut. VII. 6. XXVI. 18. 19.
(b) Pſalm. LXXVIII. 6.
(c) Rom. IX. 4.
(d) Pſalm. XLIII. 3.
(e) Pſalm. LXXIX. 9.

*Ille prodigiorum copia Ægyptiorum impetum, Judæorum pervicaciam compreſſit, pluribus, graviſſimiſque plagis Ægyptiorum Regem, ac populum afflixit, aquas rubri maris extento brachio adeo diviſit, ut ſiccum maris alveum Judæis relinquerent, ac denique illis manna divinitus paratum quotidie depluit, quo nutrirentur* [a]. *Innumeris hiſce, eximiiſque propemodum argumentis effuſa ſui amoris viſcera erga Judæos uberrime oſtendit, illorumque animos ita devinxit, ut nullum ſane amoris, & obſervantiæ genus eis ſuppetere poſſe videretur, quo pares beneficentiſſimo patri vices rependere, gratumque animum teſtari poſſent. Verum inter quam plurima beneficia, quibus ſupremum, Divinumque Numen Iſraeliticam Gentem affecit, illud in primis recenſendum eſt, quod eidem peculiari modo appropinquaverit, ac ſe illi mirifice oſtenderit. Quare Moyſes ipſe ſupremi Numinis adſpectu, & colloquio condecoratus recte ait* [b]: כי מי גוי גדול אשר לו אלהים קרבים אליו כיהוה אלהינו בכל קראנו אליו: Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. *Nulla profecto gens unquam fuit, cui Deus tam appropinquaverit, quam Iſraelitica. Suam hanc præſentiam voco, variiſque apparitionibus declaravit: Loquutus enim eſt cum Iſraelitis* פנים בפנים facie ad faciem *in monte è medio ignis* (c). *Ipſe* מגיד דברו ליעקב חקיו ומשפטיו לישראל: annunciat ver-

(a) *Exod. XVI, 15.*
(b) *Deut. IV. 7.*
(c) *Deut. V. 4.*

verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſraël לא עשה כן לכל גוי ומשפטים בל ידעום non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis [a]. *Propinquus fuit non immediate ſolum, ſed etiam mediate per Prophetas πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως (b) tum cum Judæis loquutus eſt. Ipſis per ſortes reſpondit, veluti in Achane (c), in Saule, in Jonathane [d], & in Apoſtolis factum fuiſſe Sacer Textus nitide teſtatur. Revelavit ſe* per Urim, & Thummim *è pectorali Summi Sacerdotis (e), atque Prophetis ſuis apparuit* במראה per viſionem, בחלום per ſomnium, בחידות per ænigmata, בתמונה per figuram, *denique* פה אל פה per allocutionem oralem (f). *At vero non tantum voce ſua, & verbis, ſed variis etiam patratis miraculis præſentiam ſuam Deus manifeſtavit: Tot enim, ac tanta ſe nobis offerunt miracula, ut eorum copiam, nec lingua eloqui, neque mens ſatis mirari poſſit. Quapropter jure meritoque Davides illa tanti momenti eſſe exiſtimavit, ut integris quibuſdam Canticis (g) eadem prædicaret. Attamen Judæorum Gens tot tantiſque cumulata beneficiis pervicax, & effrænis adeo fuit, ut incredibilem Dei erga ſeipſam amorem,* ac

(a) *Pſalm.* CXLVII. 19. 20.
(b) *Hebr.* I. [illegible]
(c) *Joſ.* VII. 14.
(d) *Reg. lib.* II. *cap.* XIV. 42.
(e) *Exod.* X. 9. XVIII. 30
(f) *Num.* XII. 6. 7. 8. Vid. *Crit. Sacr. P.* I. *cap.* I. *pag.* 38. & *ſeqq. Glaſſii Philol. lib.* I. *tr.* 4. *ſect.* 1. *Can.* 1.
(g) *Pſalm.* LXXVIII. & CV.

*ac beneficia frequentiſſime contemneret; digna ſonè quæ ultricem Supremi Numinis manum pateretur, cujus iram nefandis flagitiis tamdiu provocaverat. Veruntamen, ut ſupremo Numini optimo, ſapientiſſimoque rerum omnium Opifici, Deo nimirum, vivido quodam, perenni, & ſincero grati animi ſenſu venerationem exhiberent Judæi, illum variis, diverſiſque nominibus decorarunt, inter quæ omnium Hebræorum ſententia mirifice effulget nomen* יהוה*, quo ille Deus exprimitur, cujus gloria templum impleverat, cujus nomini hoc templum ſacrum erat, qui in eodem habitare volebat, cui preces ſupplices offerebantur, qui preces vocantium exaudire, iiſdemque auxilio eſſe cupiebat, qui ſolus verax, & miſericors, neque in cælo ſuperiorem, aut in terra inferiorem alium Deum, aut æqualem agnoſcit* (a). *Quo vero aliquod laborum meorum, quos in aſſiduo Linguæ Sanctæ ſtudio diu multumque impendi, ſpecimen ederetur, ceteras inter Diſſertationes, quas de Hebraicis Antiquitatibus, inſtitutionibus, & ritibus priſcæ hujus Gentis elucubravi, Commentarium hunc prælo committendum eſſe conſtitui, qui quidem primum inter reliquas locum ſibi vindicat, eo quod de incorporeæ, ſummæ potentis, immenſæ, immortalis, omni denique perfectione cumulatiſſimæ ſubſtantiæ Hebraico nomine* יהוה *differat. Quo autem ordine Commentarius hic Criticus contextus a me fuerit, quidve in illo diſputatum ſit, breviſſime hic indicaſſe juverit, ut*

re-

(a) *Reg. lib. III. cap. VIII. 11. 13. 22. 23. 30. 32.*

*rerum agendarum affinitas intelligi poſſit, ſimulque univerſa Operis methodus, atque diviſio oculis fere ſubjecta videatur. Itaque univerſum opus in octo capita diſtribuendum eſſe ratus ſum. In primis de quibuſdam nominibus Dei Hebraicis; quorum etiam meminit S. Hieronymus Stridone in Dalmatia natus, & in Latino, Græco, Hebræoque ſermone, cunctiſque diſciplinis doctiſſimus, diſſeram. Poſtmodum ex purioribus, ingenuiſque fontibus, nominis* יהוה *originem inquiram. Deinde veram ſignificationem, atque etymologiam præſtantiſſimi nominis* יהוה *exponam. Quarto in capite cultum, quem nomini Divino Judæi exhibuerunt, contemplabor. Ea, quæ quinto attinguntur capite, ſpectant ad magni nominis Dei pronunciationem. Subinde vero ex opinionibus illis, quæ circa hanc pronunciationem ingenue accurateque expoſitæ fuerint, quæ veriſimilior fortaſſe ſit eligetur. Septimo loco agere conſtitui de iis Gentibus, quæ nomen Divinum nunquam protulerunt. Demum meliori quo poterit ordine de Divini nominis cognitione apud Ethnicos loquar. Hanc autem methodum ſervandam eſſe exiſtimavi, ut argumenti dignitas effulgeat, atque ut eximia ipſius præſtantia exponatur. Interim ea, quæ minus accurate, feliciterque a me variis ſtudiorum generibus implicato expoſita fuerunt, quæque proinde jure meritoque corrigi, inverti, ac refelli poſſe videntur, itidemque leviſſima Typographi errata, quæ me præſertim abſente irrepſere, benevoli, honeſti, humanique Lectoris judicio notanda, corrigenda, vel condonanda*

*da relinquo. Si autem ingenuum hunc tibi L. B. conſulendi animum perhumaniter complectaris, ac prima, potentiſſimaque rerum omnium cauſa, ſive Deus ipſe vitam ac valetudinem mihi largiatur, plura ejuſdem generis argumenta pertractanda ſuſcipiam, veluti aliis temporibus jam peregi* [a], *ut hujuſmodi ſpeciminibus ad hoc jucundiſſimum, nobiliſſimumque ſtudium inſtituendum aliorum animi inflammentur, atque facilius diſponantur.*



[a] Vid. *Lettera del Sig. Dott. Giuſ. Atto Matani al M. R. P. Konikſoher intorno alla ſpiegazione più propria, che deve darſi alla parola* סלה.

# DE DEI NOMINE
## IVXTA HEBRÆOS
## COMMENTARIVS CRITICVS.

### CAPVT I.

*De quibuſdam nominibus, quibus ab Hebræis Deus inſignitur.*

I. MIrum profectò eſſe non arbitror ſi ſupremo, optimo, ſapientiſſimoque Numini aliqua tribuantur nomina; quamvis perfectiſſima, ſimpliciſſimaque unitas in Deo, ſive in natura Divina admitti debeat: Cum enim Deus *lucem inhabitet inacceſſibilem; quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt* (a) illius profectò eſſentia, & perfectiones a nobis plane concipi, ſive videri non poſſunt, ideoque

 eo-

(a) *Paul. ad Timoth. I. 6. 16.*

cognoſcendæ ſunt ope quarundam operationum, & aliquo modo hominibus patefaciendæ nomine aliquo, quod illos demonſtret effectus, quos producunt. Et ſane nemo eſt ratione præditus, & naturali cognitione, ſplendidaque luce divinitatis, quæ hominum mentibus affulget inſtructus, qui inficias ire audeat primam, ſapientiſſimam, potentiſſimamque rerum omnium cauſſam admitti oportere, ſive Deum ipſum certiſſimo exiſtere. Nos ipſi, qui ſumus pulcherrimum ſuarum manuum opus, & quibus peculiari quodam beneficio illum agnoſcere datum eſt, magis magiſque fateri poſſumus ipſum eſſe ſapientiſſimum rerum Opificem, Dominum, & Judicem omnium, ſi oculos convertamus ad res creatas, & præſertim ad pulcherrimam cæleſtium corporum diſpoſitionem, ordinem, multiplicesque motus, ad terræ ubertatem, ad aquas, quæ in mari continentur, & in fluminibus manant, ad tempeſtates, quæ perpetuo, ac diverſe ſibi ſuccedunt, & tandem ad admirabilem corporis noſtri ſtructuram, in quo infinitæ pene ſunt partes affabre inter ſe contextæ, quarum quælibet ſuum habet finem, & ita conſtructæ, ac diſpoſitæ ſunt, ut noſtram vitam conficere, & conſervare poſſint. Quis inſuper incredibilem atque infinitam rerum varietatem, non accurate dixerim, ſed leviter etiam inſpiciens ſapientiſſimi Artificis opera hæc eſſe non videat, perfectiſſimamque cauſſam eſſe non ſuſpicabitur, quæ hæc omnia produxerit, digeſſerit, jugiterque conſervet? Si Divinæ Literæ, quæ nonnullis in locis quodammodo nobiſcum loquuntur, tribuunt Deo corporis humani partes, nimirum cor, ut oſten-

dant

dant ejus mentem, pariterque brachium, ut in memoriam revocent ejus vim, atque auxilia, quæ nobis ſuppeditavit, & alia corporis humani membra, quibus aliiſque id genus loquendi modis demonſtratur Dei poteſtas, quæ tamen ſine membrorum officiis cuncta operatur; quanto potiori jure vocari poteſt æternus, omnipotens, ſibique ſufficiens? Maximi quidem momenti eſſe arbitror Divina nomina non ignorare, quandoquidem in Moyſis libris plurima continentur nomina, & cognomina Divinitatis, quæ ſuam acceptam referunt originem celeberrimo nomini יהוה eo prorſus modo, quo cum oriantur rami, & folia ingentis arboris ex eodem trunco; ita ex hoc ineffabili nomine plurima arcana, nec non res admiratione dignæ dimanent.

II. Vetuſtiſſima Judæorum Natio ſæpiſſime in invocando Deo non ſolum nomine יהוה, verum etiam aliis nominibus uſa eſt. Nonnulla proinde ſunt præmittenda ante quam de ſacratiſſimo, atque ineffabili nomine יהוה ſermo inſtituatur ut varia, diverſaque illorum placita, qui ab antiquiſſimis uſque temporibus ceteras inter gentes puriori ſapientiæ, virtutumque gloria celebres extitere, evidentiſſime demonſtrentur. Neminem profecto eſſe arbitror, qui non fateatur Deum eſſe omnipotentem, ſive infinitam potentiam habere, quemadmodum perſpicue oſtendunt verba, quæ habentur in Eccleſiaſtico (a): *Unus eſt Altiſſimus creator omnipotens*, ideoque priſcus Hebraicus Textus ipſum vocat אל per *αντονομασίαν* cum in producendis, conſervandiſque re-

A 2 bus

(a) *Eccleſ.* I. 8.

bus omnibus infinitam vim exerceat, quæ omnia ſine infinita potentia fieri certe non poſſunt. Quapropter ita loquutus eſt Daniel (*a*)....*& magnificabitur adverſus omnem Deum, & adverſus Deum Deorum loquetur magnifica* ויתגדל על כל אל ועל אל אלים ידבר נפלאות: Aquila Ponticus appellatus a Hieronymo *proſelytus*, *& contentioſus interpres* cum hujus nominis etymologiam exprimeret, ipſum hoc modo interpretatur ἰσχυρὸν, nimirum *potentem*.

III. Geneſeos initio plurale nomen אלהים conjungitur cum verbo ſingularis numeri ברא, ac Sacer Interpres vertit *creavit Deus*. Quidam ex Theologis duce Petro Lombardo (*b*) ex hujus nominis pluralis cum verbo ſingulari conſtructione ad oſtendendam Perſonarum in Divina eſſentia pluralitatem argumentum haud inveriſimile deſumpſerunt. Et revera Divinus Scriptor arcanum aliquod ſpectaſſe videtur, dum cetera ſingularis numeri nomina, quæ Deo conveniunt, prætergreſſus, plurale nomen exhibuit. Occultum item, ac latens quidpiam arcanum in hac eadem Sanctæ Linguæ phraſi agnoverunt complures Rabbini doctiſſimi, quorum meminit Petrus Galatinus (*c*). R. Moſes ben Maiemon, R. Salomon, R. D. Kimchi, & ipſi Talmudiſtæ hoc nomen proprie Judicem, vel Judices, aut Magiſtratus ſignificare autumarunt, & idcirco in Tractatu Joma (*d*) hæc habentur verba: כי אתא

(*a*) *Dan. XI.* 36.
(*b*) *Lib.* 1. *Sent. diſt.* 2.
[*c*] *De Arcan. Cat. Rel. lib.* II *cap.* 9. *De Galat. Vid. Jo. Morin. Exercit. Bibl. de Hebræ, Græcique text. Sincer, lib.* I. *Exerc.* 1. *cap.* 2. §. 6. & ſeqq
[*d*] *Fol.* 87. 2.

אלהים ופללו לאיש איש יחטא אם *Si peccaverit vir in virum, judicabit ipſum Elohim* מאת אלהים. *Quid eſt hic Elohim?* דייניא *Judex.* Tribuitur quoque in Sacro Fœdere præfatum nomen Angelis (*a*): ותחסרהו מעט מאלהים *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*; juxta Hebræorum mentem Aſtris (*b*): ברן יחד כוכבי בקר ויריעו כל בני אלהים *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*; & tandem Idolis, ac falſis Diis (*c*): זבח לאלהים יחרם *Qui immolat diis occidetur.* Hinc R. Moſes ben Majemon (*d*) ait: *Nomen hoc propriè ſignificare Judices, & metaphoricè transferri ad Deum, & ad Angelos.*

IV. In libro Deuteronomii (*e*) appellatur Deus אלה *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo*; in primigenio autem textu legitur: יזבחו לשדים לא אלה Animadvertendum tamen eſt, nomen illud maſculinum genere, & declinatione אלוה hoc modo ſemper plene deſcribi cum ו ſcilicet expreſſo, uno excepto citato Deuteronomii loco. Hujus vero nominis etymologia incerta admodum eſt eo quod nullibi in Sacra Scriptura exprimatur.

V. Inter myſtica nomina, quibus in Veteri Teſtamento diſtinguitur Deus, recenſenda quoque eſt vox צבאות numeri pluralis, quæ exercitus ſignificat. Quidam ex Hebræis [*f*] nomen hoc ſolum, & ab-

ſo-

(*a*) *Pſalm. VIII. 6.*
(*b*) *Job. XXXVIII. 7.*
(*c*) *Exod. XXII 20.*
(*d*) *In More part. II. cap. 6.*
(*e*) *Deut. XXXII. 17.*
(*f*) *Talmud. Tract. Sopher. cap. IV.*

ſolute ex ſanctis Dei eſſe nominibus exiſtimaverunt. Illud vero nomen ſolum, & abſolute poſitum nunquam Deo tribuitur, ſed nullo non tempore præcedunt hæc Divina nomina יהוה vel אלהים, vel utraque ſimul יהוה אלהי צבאות *Dominus Deus exercituum.* In Pagnini Linguæ Sanctæ Theſauro hæc leguntur verba: *Tribuitur Deo..... quod Deo omnia miniſtrent, & pareant, ac militent, ut exercitus, & copiæ ſuo duci, & quamvis robore valeant, ipſe tamen omnibus imperet, & ſuperior ſit, nec niſi ipſius virtute, & voluntate quidquam illis ſuccedat. Angels Deo militant eum glorificando, & ejus Eccleſiæ miniſtrando, ſtellæ luce, & calore, & influentia filii Dei pro ejus gloria, & ſua ſalute adverſus Satanam, ob quod myſterium videtur monuiſſe Hieronymus non eſſe in aliam linguam transferendum, cum nec Spiritus Sanctus, nec Apoſtoli mutarint.* Recte itaque vocatur Deus, non *Deus exercitus*, ſed *Deus exercituum*, quia varios habet exercitus, qui ipſi parent, miniſtrant, & militant, ideoque recte ait Iſaias (a): קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות Superiores habet Deus exercitus, & inferiores. Superiores ſunt Angelorum, & Spirituum acies (b), cælorum, aſtrorum, ſyderumque virtutes (c). Exercitus Dei inferiores ſunt gladius, famis, peſtis, nix, grando, ignis, venti, locuſtæ, aliaque noxia animalia, exercitus, & copiæ, Filii Dei decertantes in hac terra pro ipſius gloria adverſus vitia, aliique innumeri viſibiles, & inviſibi-

(a) *VI. 3.*
(b) *Pſalm. CIII. Luca II. 13.*
(c) *Geneſ. II. Deut. IV. 19.*

biles exercitus, quibus ut ſuam juſtitiam oſtendat ſtatis temporibus utitur Deus.

VI. In variis Sacrorum Bibliorum locis (*a*) nuncupatur Deus שדי videlicet omnipotens, *Ego Dominus omnipotens* אני אל שדי; in ſeptuaginta Interpretum verſione ibidem legitur παντοκράτωρ: in libro vero Jobi (*b*) ὁ τὰ πάντα ποιήσας. Cum item Aquila hoc verbum interpretaretur vertit ἄλκιμον, quod nomen denotat *potentem*, vel *eum qui omnia efficere poteſt.* Animadvertendum occurrit nomen שדי *copiam*, & *ſufficientiam* Dei denotare, שדי vel שאין *cui ſufficit*, & *ſatis eſt.* Alii vero putant deductum nomen à verbo שדד quod *contundere devaſtare*, & *depopulari* ſignificat. Inde Deus שדי dicitur *fortis devaſtator*, & *depopulator.* Quidam opinantur, illum dici שדי quia *ſufficiens eſt* לעצמו ſibi ipſi ſcilicet, qui nec eſſentiam ſuam, nec quidvis aliud ab alio accipit; ideoque Plato etiam Deum vocavit αὐτάρκη, aut quia *ſufficiens* eſt ad omnia, quæ vult, præſtanda, vel ut Raſchi ait: שישדי באלוהותו לכל בריה *quod ſatis ſit in Deitate ipſius pro omnibus creaturis*, vel שהוא מספיק חסרון כל הנמצאים כולם *quod ipſe ſufficiens ſit ad ſupplendum defectum omnium creaturarum.* Omnes pene dixerim Interpretes in hoc conveniunt, quod Deus שדי, vel αὐταρκης vocetur a ſumma ſua potentia, vel omnipotentia; hinc intellexerunt *Deum præpotentem*, *omnipotentem*, Græci vero παντοκράτωρα, vel ἱκανόν.

VII. Plura quoque occurrunt Veteris Teſtamenti loca, in quibus Deus a ſua fortitudine jure me-

ri-

(*a*) *Geneſ. XVII.* 1. *XXXV.* 11. & alibi.
(*b*) *VIII.* 3.

ritoque Hebraico nomine צור decoratur, veluti demonſtrant Sacræ Literæ (*a*): וישמן ישרון ויבעט שמנת עבית כשית ויטש אלוה עשהו וינבל צור ישעתו *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit a Deo ſalutari ſuo.* צור ילדך תשי *Deum qui te genuit dereliquiſti.* ואמר אי אלהימו צור חסיו בו *Et dicet: ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* (*b*) נריעה לצור ישענו *Jubilemus Deo ſalutari noſtro.*

VIII. Inter Divina nomina celebre itidem eſt אדני *Dominus*, quo primum omnium Abrahamum Deum nuncupaſſe ex Sacris Literis erudimur, in quibus (*c*) hæc verba leguntur אדני יהוה מה תתן לי *Domine Deus quid dabis mihi?* Ipſum nomen *Adonai* non jam tribus, ut quidam opinantur, ſed quatuor tantum ſyllabis conſtat; poſtrema namque diphthongum *ai* efficit, ideoque pronunciandum eſt *A, do, nai*, non *A, do, na, i.* Plautus quoque (*d*) ναι ἀδωνίμεσιν utitur nomine *Donni* loco nominis אדני; ideſt *domine mi*, poſtea vero ait *avo donni* הוה אדני *ave domine mi.* Hujuſce nominis præſtantia in eo potiſſimum apparet, quod ab ipſis Hebræis, atque etiam a noſtris Interpretibus uſurpatur loco nominis tetragrammaton יהוה, ut inferius oſtendimus (XXXIII.). Dictionem אדני latinis literis expreſſam reperimus duobus in locis Sacræ Scripturæ (*e*); ubi ſignificat univerſalem rerum domi-

(*a*) *Deut. XXXII. 15. 18. 37.*
(*b*) *Pſalm. XCIV. 1.*
(*c*) *Gen. XV. 2.*
(*d*) *Paenul. act. V. Sc. II.*
(*e*) *Exod. VI. 4. Judith XVI. 16.*

minum, nempe Deum; אדון enim *Dominum* deſignat. Jure itaque meritoque Deus appellatur אדון *Dominus*, vel אדנים *Dominus multiplex*, quia univerſo terrarum orbi imperat, ac ille viciſſim ei obtemperat. Hinc vocatur (*a*) אדון כל הארץ *Dominus totius terræ*: Κύριος τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς, Κύριος πάντων. Deinde hoc nomen, quod ſæpe de Deo tantum uſurpatum eſt, veluti oſtendunt Maſorethæ, priſci nimirum Hebræorum Critici, frequentiſſime jungitur vel ante, vel poſt nomen tetragrammaton; utrumque enim legimus יהוה אדני, & אדני יהוה.

IX. Nomen עליון, quod συνεκδοχικῶς Deo Optimo Maximo tribuitur epitheton potius Dei eſt, quam ipſius nomen, quod utpote adjectivum *excelſum*, *altum*, *altiſſimum* Latini interpretati ſunt, Græci vero ὕψιστον reddiderunt. Hoc frequenter aliis Dei nominibus adjungitur, & quotieſcunque ſeorſim, vel abſolute invenitur, aliquod aliud Divinum nomen eſt ſubintelligendum.

X. Deus item ſuis ex attributis tantum, atque nominibus, quæ cum Divina eſſentia conveniunt, facile cognoſci poterit. Hoc autem ipſo, firmiſſimo veluti fundamento nituntur pene omnes Magi, & Cabaliſtæ Hebræorum, qui Divinis nominibus [*b*] mira ſe peragere poſſe gloriantur, quemadmodum eorum opiniones, quæ ſæpe occurrunt (*c*), luculen-



(*a*) *Pſalm. XCV. 7. Luc. X. 21. Act. X. 36.*

[*b*] Vid. exempla apud *Baſnage Hiſtoire, & la Religion des Juifs depuis Jeſus-Chriſt juſqu'à preſent. Lib. III. cap. 13. §. 14.*

(*c*) Vid. *Petr. Galat. lib. II. cap. ult. Reuchlin. Cabb. lib. III. Coll. Piſtor. Cabbal. denud. Tom. I. intr. in librum Sohar cap. 5.* & quæ præter alios adducit *Jo. Saubertus Palæſtr. theolog. philolog.*

tiſſime demonſtrant. Quòd ſi quiſpiam admiratione corripiatur, Hebræos ejuſmodi futilia, atque inania perſequutos fuiſſe, non amplius quidem mirabitur, ſi ſedulo, diligenterque animadvertat emanationis ſyſtema, quod Cabaliſtæ excogitarunt, Judæi vero complexi ſunt, exigere ut pariter admittamus quaſdam emanationes ex Deo profectas, quæ quidem dicuntur operatrices virtutes, quarum motu contingere poteſt, ut inferiorum emanationum ſeries ad ſuperiorum voluntatem attrahatur. Futilia quædam, & admodum ridicula invenerunt illi Hebræi, qui ſeptuaginta duo Dei nomina recenſent, quæ ſeptem vicibus diſpoſita, ac inter ſe commutata ſeptingenta viginti Dei nomina efficiunt. Attamen præ ceteris ſpectandum nomen אגלא quo Cabaliſtæ ſæpiſſime utuntur.

## CAPUT II.

### *De Origine Nominis quatuor literarum.*

XI. CUm Deus ex miſerrima Ægypti ſervitute ſuum populum in libertatem vindicaſſet, non ſolum lætitiæ argumenta omnes illi præbuerunt; verum etiam ipſe Deus peculiare cognomen obtinuit, eo ſane modo, quo cognomina quædam accipere conſueverunt Imperatores, quippe qui ſtrenuos Principes vicerunt, virtuteque militari celeberrimas nationes ſuperarunt: Quemadmodum enim jure meritoque Scipio *Africani* nomen conſecutus eſt, eo quod Africam ſuam in poteſtatem redegerit, atque ob eam maxime cauſam Nero *Germanici*, & Tra-

ja-

janus *Davici* nomine decorati fuerunt, ita quoque Deus *Redemptor*, & *Iſrael* appellatus eſt a Prophetis [a], veluti hæc teſtimonia demonſtrant כה אמר יהוה גאלכם קדוש ישראל *Hæc dicit Dominus Redemptor veſter ſanctus Iſrael* אתה יהוה אבינו גאלנו *Tu Domine pater noſter Redemptor noſter*, ut oſtenderent Deum Iſraelitarum gentem, quam ſibi veluti populum elegerat, ac peculiari amore complectebatur ex diuturna captivitate, innumeriſque laboribus, quibus illa in Ægypto miſerrime premebatur, eripuiſſe. Non ſolum Deus cognomen mutavit propter illud omnium ſeculorum memoria celebrandum facinus, verum etiam loquens cum Moyſe ex hujuſmodi re præclare geſta nomen יהוה aſſumpſit, quod potiſſimum illi convenit. Nunquam tamen Deus nomen יהוה accepit niſi poſteaquam mundum condidit, ideoque Moyſes antea eum appellavit אלהים quandoquidem ait: בראשית ברא אלהים *In principio creavit Deus.* Hoc autem maxime fiebat quoniam nomen אלהים, quod eſt imperfectum, tempora decebat, quibus Deus opus inceptum haud penitus abſolvebat. Attamen quando res omnes ex nihilo erutæ fuerunt, ac univerſus terrarum orbis ad incrementum, perfectionemque deductus, nomen יהוה adhibuit, quandoquidem ejus opera perfecta ſunt, veluti præclara Moyſes (b) demonſtravit. Uno eodemque nomine Deus uſus eſt cum Adam creavit, eumque expulit de paradiſo voluptatis. Præſertim vero illo nomine decorari voluit multis in caſibus, qui Iſraeli-



(a) *Iſa.* XLIII. 14. LXIII. 16.
(b) *Deut.* XXXII. 4.

ticum Populum reſpiciunt, quandoquidem perfecta quædam juſtitiæ, & miſerationis menſura reperitur. Juſtitia, & miſericordia duæ ſunt virtutes, quæ plurimum inter ſe diſſidere videntur. Attamen Deus eas deprehendens impenſe perpendit, poſtea vero ſuum profert judicium. Hanc ideam exprimunt tres Patriarchæ: Abraham enim erat miſericordia, Iſaac juſtitia, Jacob vero, qui proprium domicilium in tentoris Domini, & Patris ſui collocaverat, ibique dimidium incolebat, eſt judicium. Quemadmodum igitur ille erat pater (*a*) duodecim Tribuum, ita agnoſcebat illarum imbecillitatem, miſeramque ſortem, quam ſubire debebant, ſi judicium rigide fiebat, ideoque ille miſericordiam filiis ſuis implorat. Intervenit Deus, ac judicium profert, cumque decernit quamdam alicui gratiam eſſe concedendam, vel quempiam pœna afficiendum, in qua juſtitia, & miſeratio mirifice effulgeat. הצור תמים פעלו *Dei perfecta ſunt opera* (*b*), tunc ille nuncupatur יהוה.

XII. Ab Hebraica Lingua varia, diverſaque nomina Supremo Numini tribuuntur, atque inter cetera quoddam eſt ipſis majus, quodque magis ipſo Deo proprium eſt, nempe magnum nomen יהוה. Aliquod tamen intercedit diſcrimen inter illa nomina, quæ Dei attributa oſtendunt, & nomen יהוה; hoc enim ita Dei proprium eſt, ut nullæ creatæ rei ſaltem proprie competere poſſit. Interim obſervantur hæc verba (*c*): ויהי בנסע הארן ויאמר משה קומה יהוה ויפצו

(*a*) Vid. *Cabbal. denud. Appar. ad lib. Zohar.*
[*b*] *Deut. XXXII. 4.*
[*c*] *Num. X. 35. 36. Ezech. XLVIII. 35.*

ויפצו איביך וינסו משנאיך מפניך : ובנחה יאמר שובה יהוה רבבות אלפי ישראל : *Cumque elevaretur arca, dicebat Moyſes. Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, a facie tua. Cum autem deponeretur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael.* ושם העיר מיום יהוה שמה *& nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Itaque verba ipſa in quibus certe tribui videtur illud nomen arcæ, & Hieroſolymæ, ad Deum ipſum referuntur per ellipſin, vel per metonymiam ſigni, & rei ſignificatæ; perinde quaſi vocetur דבר בשם בעל הדבר *res nomine Domini ipſius rei*, veluti præclare obſervat Joſephus Albo (*a*).

XIII. Illud hic interim inquirendum occurrit quid ſibi velit Dominus cum ait, ſe nomen יהוה non indicaſſe Patriarchis Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo; hoc enim pacto legimus in Hebraico Textu [*b*]: אל אברהם אל יצחק ואל יעקב באל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם: Dictio *Adonai* hoc loco a noſtro Latino Interprete poſita in originali Hebraico expreſſa nequaquam eſt, ubi nullus ſermo habetur de nomine *Adonai*, ſed de ineffabili tantum nomine יהוה. Significatur itaque ibi nomine *Adonai* non dominium, ſed eſſentia Divina, quæ quidem in nomine יהוה comprehenditur, Cum quidam Hebraicæ Linguæ ſedulam operam non navaverint, neque etiam animadverterint nomen יהוה per dictionem *Adonai* hoc loco a Latino Interprete ſignificatum exiſtimarunt Sacras Literas agere de nomine *Adonai*, quate-

(*a*) *Lib. Ikkarim II. cap. 27.*
(*b*) *Exod. VI. 3.*

tenus proprie dominium deſignat, ideoque illum locum interpretantes in hanc ſententiam conſpirarunt, Deum videlicet polliceri Moyſi, ſe ei demonſtraturum longe majorem vim, & potentiam, quam Patribus antiquis indicaverit: in rerum nempe commutatione ex una in alteram ſpeciem facta, ut in converſione virgæ in colubrum, & aquæ in ſanguinem. Hæc autem omnia, aliaque id genus plurima, quæ Divinam præſeferunt potentiam, & robur, feliciter, ac mirifice Deum præſtitiſſe a Sacris Literis erudimur. Hanc proinde vocem *Adonai* rerum dominium innuere cenſuerunt, quatenus omnia ſupremo Numini omnium Domino ſubiciuntur non ſolum juxta naturalem vim, ſed etiam juxta illam, qua Deo parere coguntur ut ipſi libuerit. Exiſtimabant itaque univerſale dominium Deo omnipotenti competens hoc loco fuiſſe deſignatum per nomen *Adonai*. Verum hæc interpretatio plurimum a veritate aberrare videtur, quoniam Deus innumera etiam miracula, quæ naturæ vim ſuperant, ante Moyſen patravit. Deus proinde ibidem non loquitur de nomine אדני, ſed de nomine tantum יהוה, quod non dominium, neque potentiam, ſed proprie eſſentiam Divinam ſignificat. Me quoque non latet, Paulum Fagium nomine Dei יהוה ſignificari contendiſſe veritatem Divinarum promiſſionum, quas fidelibus ſuis factas Deus ipſe conſtanter præſtat. Quo circa ex vera illius nominis ſignificatione ejus loci (*a*) interpretationem palam facere conatur. Dicit enim Deum יהוה ita dictum non tantum ex eo quod æterne exiſtat,

(*a*) *Exod. VI*, 3.

ſtat, ſed & quod cunctis rebus ſuam eſſentiam tribuat, atque communicet juxta hoc teſtimonium (*a*): Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Atque huc reſpexiſſe Deum autumavit cum ait [*b*]; *Ego ſum Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis*, nimirum pollicitus ſum Patribus, ut poſſeſſionem attingerent terræ Chanaan: crediderunt quidem promiſſionem, ſed tamen me eam complentem non viderunt, quemadmodum tu Moyſes viſurus es, ut confirmetur veritas nominis mei, quo dicor יהוה nempe conſtans, firmus, & immutabilis in promiſſionibus meis. Eſſe autem verum hunc ſenſum inde colligit, quod ſtatim poſt verba illa [*c*] hæc mox ſequuntur: *pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan.* Huic ſententiæ adſtipulatur quoque R. Samuel, qui in commentario ſuo hunc locum ita exponit: הבטחתים הבטחות ובכולך אמרתי להם אני אל שדי ויהוה לא נודעתי להמי לא הודעתי אין כתוב כאן אלא לא נודעתי לא נכרתי להם בסוד אמיתות שלי שעליה נקרא שמי יהוה נאמן לאמת דברי שהרי הבטחתים ולא קיימתי *Promiſi eis promiſſiones, & in omnibus eis dixi ad eos, Ego ſum Deus omnipotens. Et in nomine meo Adonai non ſum notus factus eis Non notum feci, non ſcribitur hic, ſed non notus factus ſum, id eſt non cognitus factus ſum eis in proprietate veritatis meæ, propter quam vocatur nomen meum* Ado-

(*a*) *Act. Apoſt.* XVII. 28.
(*b*) *Exod.* VI. 3.
[*c*] *Citat. loc.*

*Adonai, ideſt verax, fidele, conſtans, propter veritatem verborum meorum, quoniam ecce promiſi eis, & nondum præſtiti, ſeu confirmavi.* Quamvis autem ex allatis verbis (*a*) inferri facile poſſit, Dominum Moyſi dixiſſe, ſe non indicaſſe nomen יהוה Patriarchis Abraham, Iſaac, & Jacob, nihilominus hoc Dei nomen eos noviſſe liquet (*b*). Abraham enim ait [*c*] Regi Sodomorum: הרימתי ידי אל יהוה אל עליון *levo manus meas ad* יהוה *Dominum excelſum.* Alibi vero[*d*] alloquitur Dominus Abraham dicens אני יהוה *Ego ſum* יהוה *qui eduxi te*, ubi nomen יהוה ipſi Abrahæ jam indicatum fuiſſe videtur. Quin immo ante diluvium hoc idem nomen indicatum fuit generationibus illis, qui tempore Enos floruerunt: de illo enim dicitur (*e*): אז הוחל לקרא בשם יהוה *iſte cœpit invocare nomen Domini*, in Hebraico textu legimus nomen יהוה, quod per Dominum tam in noſtra, quam in Græca editione redditur. Verum ad concilianda illa Sacrarum Literarum teſtimonia, aliaque id genus, quæ poſſent afferri, reſponderi poſſe arbitror, Deum [*f*] non tam de nomine, quam de re ipſa hoc nomine ſignificata, cognitione nempe illa Dei clara Moſi una cum nomine revelata, locutum eſſe, quam longe illuſtriorem a Deo accepit Moſes, quam Patres, qui ante illum extiterunt. Porro Dominum indicaſſe Moy-

ſi

[a] *Exod. VI. 3.*
(b) Vid. *Souc. Diſſert. critiq. ſur le nom de Dieu.*
(c) *Gen. XIV. 22.*
(d) *Gen. XV. 7.*
(e) *Gen. IV. 26.*
[f] *Exod. VI.*

ſi rem per hoc nomen ſignificatam, nimirum ipſam Divinam eſſentiam, oſtendendo ſeipſum per apertam viſionem, qua Moyſes confeſtim eum vidit compertum eſt: Dominus enim inquit: (*a*) לא כן עבדי משה בכל ביתי נאמן הוא פה אל פה אדבר בו ומראה ולא בחידת ותמנת יהוה יביט. *Non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt; ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*: in Hebraico eſt יהוה Itaque quamvis *Adonai* Dominum ſignificet, illorum verborum (*b*) שמי יהוה לא נדעתי להם *nomen meum Adonai non indicavi eis*, ſenſus eſt, nomen meum יהוה non indicavi eis. Compertum ergo eſt, Dominum illis verbis Moyſi ſatis indicaſſe nomen ſuum יהוה, ideſt proprii nominis ſignificationem, quandoquidem SS. Eccleſiæ PP. Auguſtinus (*c*), Baſilius (*d*), aliique Moyſen perſpexiſſe Divinam eſſentiam, ſibique eſſe indicatam unanimi conſenſu affirmant.

## CAPUT III.

*De ſignificatione, atque etymologia Hebraici nominis ineffabilis.*

XIV. Nomen יהוה ipſam ſimplicem, & puram eſſentiam denotat, ideoque illud tantum Deo competit, qui ita nuncupatur a ſua eſſen-

C

(*a*) *Num. XII. 7. 8.*
(*b*) *Exod. VI. 3.*
(*c*) *Lib. XII. ſup. Gen. ad lit. cap. 27. 28. Ep. 112. ad Paulin. & Serm. 46. ad Fratr. in erem.*
(*d*) *Hom. I. Exam. cap. 2.*

ſentia, cum ille perpetuo exiſtat, ac veluti optime ait S. Joannes in Apocalypſi [a]: Χάρις ὑμῖν, καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Gratia vobis ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* In qua explicatione illud animadvertendum erit, ὁ ἐρχόμενος idem eſſe quod ὁ ἐσόμενος. Præclara equidem illa definitio, quæ in allatis Apocalypſis verbis a Deo præbetur, ac SS. Eccleſiæ Patrum documenta collecta a Dionyſio Petavio (*b*), quorum omnium ſententias in eo convenerant, ut melius explicari non poſſet Divina eſſentia, quam ſi dicamus, Deum eſſe ſuam eſſentiam, efficiunt, ut libentiſſime illis aſſentiar, qui Deum eſſe unam eamdemque eſſentiam opinantur. Hæc omnia perhibuit Deus Moyſen alloquens (*c*), cum nomen אהיה adhibuit: אהיה אשר אהיה *ſum qui ſum*, vel ut in Hebraico legimus *ero qui ero:* Nam juxta Hebraicæ linguæ proprietatem futurum tempus uſurpari ſolet ad res perpetuas ſignificandas, eo quod contineat in ſe rationes præteriti, & præſentis. Juxta opinionem R. Bechai [*d*] Deus imperat tribus temporibus præterito nimirum, præſenti, ac futuro, atque tria hæc tempora nomen אהיה complectitur. Nam in Schemoth rabba אהיה ita explicatur: אני שהייתי ואני הוא עכשיו ואני הוא לעתיד לבוא *Ego fui, & ego ſum nunc, & ego ſum venturus.* Omnium item trium temporum characteres, & notæ expreſ-

ſæ

(*a*) I. 4.
(*b*) *De Theolog. Dogm. lib. I. cap. 6.*
(*c*) *Exod. III. 14.*
(*d*) *In Exod. fol. 65. col. 4.*

ſæ perfecte habentur in Dei nomine יהוה. Ab initio, ut neminem latet, litera י characteriſtica eſt futuri, הו in medio quæ ſunt primæ literæ participii temporis præſentis, ה in fine cum kametz ſubſcripto præteriti. Quidam ex Cabaliſtis obſervarunt (*a*) ideo Deum ibidem hæc nomina uſurpaſſe, & Moyſi revelaſſe יהוה, & אהיה (*b*), quod ex illis tria hæc conficiantur היה *fui*, הוה *ſum*, אהיה *ero*. Quapropter optime cecinit Rex David [*c*] יהוה מלך *Dominus regnavit* (*d*) יהוה מלך עלם ועד *Dominus rex in perpetuum, & in ſempiternum* (*e*). ימלוך יהוה לעלם *Regnabit Dominus in ſempiternum*. R. Iizchak in primo tractatu libri Druſchim demonſtrat, nomen tetragrammaton innuere perpetuam exiſtentiam, nimirum præteriti, præſentis, & futuri temporis. Multa profecto myſteria eruunt Hebræi ex nomine quatuor literarum, quæ quidem haud abſurda eſſe videntur: Dicunt enim ſacrum nomen compoſitum eſſe ex literis הוה, quæ *eſſe*, & *ſubſiſtere* ſignificant, ut demonſtrent, quod Deus a ſe ipſo ab æterno exiſtit, rebuſque omnibus creatis eſſentiam ſuam largitur. Illæ ipſæ literæ *flatus literæ* ab Hebræis dicuntur ut innuant, quod ipſe ſolus eſt, qui ſpiritum, & flatum omnia vivificantem ſuppeditat. Ibidem *quietis* quoque *literæ* nuncupantur ab Hebræis ut indicent, quod in ipſo tantum vera, ac ſolida quies, felicitas nimirum, atque bea-



[*a*] *Ad Exod. cap. III.*
(*b*) *Exod. III.* 14. 15.
(*c*) *Pſalm XCVII.* 1.
(*d*) *Pſalm. X.* 16.
[*e*] *Pſalm. CXLVI.* 9. juxta Hebr.

beatitudo conſiſtit, ac conquieſcit. Hoc quidem eſt magnum illud Dei nomen, quod Divinam tantum exprimit eſſentiam, non jam indicat firmitatem in ſervandis pollicitationibus, quemadmodum Philippus a Limborch Theologiæ profeſſor apud Remonſtrantes in ſua Chriſtiana Theologia ad demonſtrandum aggreſſus eſt.

XV. Celeberrimus Rudbeckius in prima parte Ichthiologiæ Biblicæ magno ingenii acumine exquiſivit originem nominis יהוה, ejuſque ſimilitudinem cum Gothico verbo *Jæve* deprehendit. Porro ille a communi doctorum virorum ſenſu abhorret, qui una cum RR. illud nomen ab Hebraica radice היה dimanaſſe autumant, quandoquidem, ut ille memoriæ prodidit, vox היה continet literam ', יהוה vero complectitur literam ו, ſubinde neque in היה, neque in הוה initio habetur litera '. Hæc omnia ſedulo, diligenterque animadvertenda ſunt, quoniam juxta Gothos hæc litera multum amplificat; & quemadmodum *ſtadi* ſignificat *ſtabilem*, ac *firmam*, *iſtadi* eum, qui moveri non poteſt, ita etiam nomini יהוה magis ampla ſubjecta eſt ſignificatio, eo quod habeat literam ' cum illum demonſtret, qui vere, ac independenter fuit. Verbum autem הוה hoc pacto vertitur *fuit*, *factus eſt*, *ortus eſt*, ideoque complectitur principium, ac temporis ſucceſſionem. Item apud Gothos unum, idemque ſignificat *va*, *hua*, *var*. Si igitur ſpectetur ſimilitudo vocis, ſignificatus, ac nominis, in confeſſo eſt apud omnes הוה Hebræorum, & Chaldæorum idem eſſe ac *hua*, *va*, *var* Gothorum, cum hoc etiam reddi poſſit *fuit*, *factus eſt*. Et quemadmodum ab Hebraica voce

pro-

proficiſcitur nomen חוה, quod idem eſt ac *calamitas*, ita etiam ex nomine Gothico dimanat *vuva*, *vada*, quod *calamitatem* deſignat. Plurimum quidem dedecet aſſumere nomen Dei infiniti, omnique perfectionum genere præſtantiſſimi ex verbo, quod exprimit rem finitam, cum vox quædam apud Gothos reperiatur, quæ magis accommode Supremi Numinis majeſtatem deſignat, quam vox היה. Ex alia ſimpliciori radice deducendum eſt Dei nomen, videlicet ex litera *A* Svevorum, ac ita vertitur *primus*, *ſummus*, *ſempiternus*; quare per emphaſim geminatur litera *a a*, *æ æ*, *a' a'' a'''*, *ævæ ævæ*, ac denuo *Jævæ*, quod *ſempiternum*, aut *quam maxime æternum* exprimit, atque eamdem habet ſignificationem Hebraici nominis יהוה. Tametſi ego inficias ire minime auſim, ſummum eſſe hujuſce Scriptoris ingenium, tamen una cum RR. & emunctæ naris Criticis nomen Dei יהוה potius ex Hebraica radice היה, quam ex aliis exoticis linguis deſumendum arbitror, veluti inferius (XVII.) de hac radice differens oſtendam.

XVI. Nomen יהוה *propriam*, *immutabilem*, *æternamque Dei eſſentiam* denotat, veluti duabus potiſſimum rationibus demonſtrari poteſt. Prima eſt quod cum Moyſes pertimeſceret Pharaonis potentiam, tum cum illi Deus imperavit, ut illi ſuam voluntatem patefaceret, ex illo percontatus eſt, cujus nomine ſe miſſum eſſe diceſe debebat, Deus illi reſpondit (*a*) nomine יהוה qui eſt Deus Iſrael. Altera ratione idipſum comprobatur; cum enim Deus exponeret ſignificationem ſui nomi-

[*a*] *Exod. V. 1.*

minis, hoc pacto loquutus eſt (*a*): אהיה אשר אהיה *Sum qui ſum*, vel ut vertit Sanctes Pagninus *Ero qui ero.* P. Houbigant (*b*) ita ea verba reddenda eſſe autumavit: *Is ero, qui olim futurus ſum.* Verum abſque neceſſitate ab illa lectione Sacræ Scripturæ, quam SS. Patres confirmarunt, nequaquam recedendum. Juxta vero Hebraicæ linguæ conſuetudinem futurum tempus uſurpari ſolet ad res perpetuas ſignificandas (XIV.). Nullum igitur aliud nomen erat præter יהוה, quod revera declararet eſſentiæ plenitudinem, atque abſolutum arbitrium, quæ omnia cum proprium Divinitatis characterem conſtituant, efficiunt ut facillime diſtinguamus Deum Iſraelitarum a vario, diverſoque Deorum genere, quos Ægyptii, aliæque innumeræ Gentes Idololatriæ tenebris miſerrime obvolutæ ſummopere coluerunt. Infertur itaque ex dictis, vocem יהוה eſſe nomen Dei proprium, quoniam nullum adeſt verbum, quod potiori jure vocari poſſit nomen proprium, quam illud, quod naturam exprimit rei unius, ſingularis, quæque communicari aliis non poſſit. Atque ob eam potiſſime cauſam illud nomen Deo proprium illi ſoli in Sacris Literis, neque ulli umquam creaturæ ſaltem proprie tribuitur. Inſuper Moyſes poſtquam retulit prodigia, quæ a Deo pro Iſraelitis patrata fuerunt, inquit (*c*), illum, qui hæc admiratione digna effecit, eſſe יהוה, ac nomine יהוה perhiberi. Quod vero ſpectat ad illa Sacrarum Literarum loca, in qui-

(*a*) *Exod. III. 14.*
(*b*) *Bibl. Hebraic. cum notis.*
(*c*) *Exod. XV. 3.*

quibus nomen ſoli Deo proprium tribui videtur Arcæ [*a*], Hieroſolymæ [*b*], Angelis (*c*), aliiſque rebus creatis [XII.], præfatum nomen ſemper referendum erit ad Deum ipſum, vel illa loca explicanda erunt per ellipſin, aut metonymiam ſigni, & rei ſignificatæ; ita ut appelletur דבר בשם בעל הדבר *res nomine Domini ipſius rei*, veluti ait Joſeph Albo (*d*). Maſius affirmat יהוה illum eſſe, qui *ab æterno exiſtit, ipſeque ſibi eſſentia eſt, & a quo pendet rerum omnium eſſentia.* Ariſtoteles Stagirites (*e*) Deum vocat ἀιῶνα, hoc eſt ἀεὶ ὄντα quoniam ſemper eſt, atque exiſtit; Deus quippe principium eſt omnis eſſentiæ, quam rebus omnibus ultro largitur. Me non fugit, quoſdam (*f*) credidiſſe, homines præſertim doctos, ac ſummo, elatoque ingenio præſtantes Deum in ſe veluti eſt cognoſcere poſſe, eumque vocare nomine ipſi proprio יהוה, quod perfecte illius eſſentiam exprimit. Verum S. Thomæ ſententiam magis veram, ac ſinceram eſſe, atque ab omnibus admitti oportere, non modo clariſſimis auctoritatibus, ſed manifeſtiſſimis etiam rationibus erudimur; ait enim S. Thomas [*g*], hominibus difficile admodum eſſe non tantum Deum cognoſcere, verum etiam proprio, decentique nomine eum vocare. Ratio autem hæc eſt, quoniam in

hac

(*a*) *Num. X.* 35. 36.
(*b*) *Ezech XLVIII.* 35.
(*c*) *Jud. VI.* 11. 12.
(*d*) *Lib. Ikkarim II. cap.* 27.
(*e*) *Lib. I. de cælo.*
(*f*) *Scotus*, & *Gabriel. in I. ſent. diſt.* 22.
(*g*) *I. p. qu.* 13.

hac mortali vita quiſpiam palam Deum agnoſcere non poteſt, ideoque nemini plene, perfecteque illum in ſe agnoſcere conceſſum eſt. Deinde etiamſi aliquis Deum cognoſceret veluti eſt, hic tamen duntaxat agnoſceret ipſum Deum, dum illum intuetur, ac contemplatur, nomen vero quod illi tribueretur eſſet extra Deum, ejuſque eſſentiam, quandoquidem illum veluti in ſe eſt agnoſcere, neque aliquo creato ſigno eum nuncupare, & ſignificare nemini datum fuit. Illud proinde certum, exploratumque eſt, inter cetera Dei nomina, quæ ſuperius recenſuimus (Cap. I.), nullum aliud reperiri poſſe, quod tam proprie, accommodateque Divinam ſignificet eſſentiam, quam nomen יהוה, nempe illius qui eſt, ſicuti oſtendunt SS. Eccleſiæ Patres Joannes Damaſcenus [a], Thomas (b), & Dionyſius [c].

XVII. Nomen tetragrammaton oritur ab Hebraica radice היה, vel הוה; utraque enim in Hebraica lingua uſitata eſt. In nomine autem יהוה conſpiciuntur literæ ſubſtantiales ipſius verbi היה; ponitur enim litera ו loco י, ſiquidem hæ duæ literæ ejus naturæ habentur, ut facile altera in alteram convertatur. Me quoque non latet, quoſdam opinatos fuiſſe, Dei nomen nil aliud eſſe, quam tertiam perſonam futuri verbi ſubſtantivi, nempe יהוה quod ſignificat *erit*, ſive *erat*, ſive *eſt*, quod proprie Deo ſoli convenire erudimur (d). Litera י ſæpe præponitur cum format nomina propria, veluti hæc oſten-

(a) *Lib. I. de Fid. cap.* 12.
(b) *I. p. qu.* 13.
(c) *Lib. de Divin. nom. cap.* 12.
(d) *Exod. III.*

oſtendunt יהושע *Jeſus* ab הושע *ſalvavit*, pro quo contractè etiam dicitur ישוע, יצחק *Iſaac* a צחק *riſit*; יעקב *Jacob* a עקב *ſupplantavit*, יוחנן *Joannes* a חנן *miſericordia*, vel *gratia proſecutus eſt*. Præterea nomen יהוה juxta Grammaticos eaſdem ſervat proprietates, quas nomina propria virorum apud Hebræos habere ſolent. Quapropter nomen hoc non declinatur, nec flectitur ex ſingulari numero in pluralem, neque recipit affixa pronomina, neque admittit formam conſtructam, ideoque in illis locis, in quibus Deus appellatur יהוה צבאות *Dominus exercituum*, adeſt ellipſis, perinde ac legendum ſit יהוה אלהי צבאות *Dominus Deus exercituum*. Tandem non aſſumit præfixum ה demonſtrativum, ita ut nunquam legatur היהוה, præfigitur autem ceteris quibuſdam nominibus, ac dicitur האל האלהים.

XVIII. Variis epithetis nomen Dei יהוה ab Hebræis inſigniri ſolet. In primis autem vocatur שם העצם, vel שם הויה *nomen ſubſtantiæ*, vel *eſſentiæ*. Appellatur quoque שם המיוחד *nomen proprium*, quia ſolius Dei proprium eſt [XVI.], & illi ſoli competit (*a*). Itidem dicitur שם המפורש, quod pro diverſa verbi פרש ſignificatione diverſimode quoque interpretari poteſt. Quare nonnulli Hebraica illa verba *nomen explicatum*, vel *expoſitum* reddenda eſſe cenſuerunt, eo quod præfato nomine Divina eſſentia proprie exprimatur, cum inſuper Deus ipſe Moyſi, & per eum Iſraelitis illo ſuam eſſentiam expoſuerit, vel per cognomen אדני exponatur, pronuntietur, ac proferatur. Alii ad יהוה ſignifican-

D dum

(*a*) *Iſa.* XLII. 8.

dum adhibendum eſſe crediderant שם המפורש *nomen ſeparatum*, & *ſegregatum*, quod ſoli Deo tanquam primæ cauſæ competens ab aliis Dei nominibus diſtingui, ſecernique poſſit. Honoris cauſa dicitur quoque שם הנכבד והנורא *nomen glorioſum*, & *terribile* (a) אם לא תשמר לעשות את כל דברי התורה הזאת הכתבים בספר הזה ליראה את השם הנכבד והנורא הזה את יהוה אלהיך: *Niſi custodieris*, & *feceris omnia verba legis hujus*, *quæ ſcripta ſunt in hoc volumine*, & *timueris nomen eius glorioſum*, & *terribile*, *hoc eſt Dominum Deum tuum*. Item per ſynecdochen appellatur השם *nomen illud* ויקוב בן האשה הישראלית את השם: *Et expreſſit filius mulieris iſtius Iſraelitidis nomen* (b). Denique illud vocatum eſt a numero literarum שם של ארבע אותיות *nomen quatuor literarum*, vel שם בן ארבע אותיות *nomen filius quatuor literarum*. Nomen יהוה, quod quatuor literis conſtat, jure meritoque Græci unanimi conſenſu τετραγράμματον dixerunt. Judæi equidem illud enunciare, nequeunt, ac Græci ut illorum genio obſequerentur quatuor literis expreſſerunt, fortaſſe, ut ego arbitror, quoniam Judæi Helleniſtæ ſententiæ adhæſerunt aliorum Judæorum, qui Paleſtinam incolebant. Quædam alia Dei nomina quatuor literas tantum complectuntur, ut אלוה אדני, quæ quidem proferri poſſunt, verum nomen יהוה quandoquidem cetera dignitate ſua antecellit, & illud exprimere non auſi ſunt, ac τετραγράμματον nuncuparunt. Illud mehercule animadver-

ten-

(a) *Deut. XXVIII. 58.*
(b) *Levit. XXIV. 11.*

tendum erit in operibus typis excuſis Clementis Alexandrini (*a*) mendum irrepſiſſe Amanuenſium, vel Typographorum incuria; nam ubi eſt τετραγράμμων, τετραγράμματον legendum erit. Hinc a Græcis quoque juxta Hebræorum morem nomine tetragrammato θεὸς *Deus* videlicet cognominatus eſt. Deus proinde Græce θεὸς dicitur ex eo quod omnia θεωρεῖ, ideſt *contemplatur*, & *adſpicit*. Quare Anaſtaſius Sinaita Martyr Patriarcha Antiochenus (*b*) Deum θεωρητὴν mundi, ideſt *contemplatorem*, & *inſpectorem* vocat, quem antea (*c*) πολυόφθαλμον nempe multos oculos habentem nominaverat. Illud hoc loco notandum videtur, non tantum penes Hebræos barbaros, Græcoſque, ſed & Latinos, Chriſtianos, & quaſcunque ferme Nationes Dei nomen eſſe tetragrammaton, hoc eſt quatuor literarum; quemadmodum enim ab Hebræis vocatur יהוה, ita a Latinis Deus, ab Ægyptus θεὺτ, & per contractionem nonnunquam θωὺ, ut etiam apud Hebræos aliquando obſervatum eſt. Perſæ Deum vocant ξυρη, Tyrrheni, vel Hetruſci [illegible], Magi ορτη, Arabes ἀλλὰ, Aſſyri ἀδαδ, Mahometes una cum Turcis ἀγδι, & quidam populi elapſis retro temporibus reperti ζιμι, Galli *Dieu*, Hiſpani *Dios* (*d*). Quapropter imitandi videntur illi Itali, qui omnium pene Nationum exemplo inhærentes nomine tetragrammato, hoc eſt illorum vernaculo ſermone *Idio*, citra duplicem conſonantem uſi fuerunt.



(*a*) *Strom. lib. V.*
(*b*) *Lib. VII. in Examer.*
(*c*) *Lib. I.*
(*d*) *Gyrald. de Diis Gent.*

XIX. Judæi agnoverunt literas omnes, ex quibus conſtat ſacratiſſimum Dei nomen, myſteriis plenas, quoniam litera י una eſt earum rerum, quas nunquam oculus conſpexit, ideoque mortalibus omnibus delteſcit. Nequaquam intueri fas eſt eſſentiam, nec naturam, neque illam meditari poſſumus. Cum vero quiſpiam ſerutatur quid illa ſit, reſpondetur *non*, perinde ac ſi hoc eſſet id quod non eſt, quoniam illa magis comprehendi nequit, quam id, quod non exiſtit. Animo, & cogitatione homo percurrere poteſt univerſam cælorum ſuperficiem, ſed nunquam ad hoc lumen, quod adiri non poteſt, pertinget. Ejuſmodi ſunt abdita mirabilia ſapientiæ, quoniam *nullo modo id inquirendum, quod latet, neque ſciendum quod incognitum eſt.* Loquitur quoque Job de hac litera cum ait [a] ונעלמה מעיני כל חי ומעוף השמים נסתרה: *Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet.* Hinc eſt quod Magiſtri hanc literam vocant *cogitationem*, & *ideam*, neque propriam efficaciam ſuis finibus circumſcribunt. Hæc eſt illa litera, quæ dimanans ex prima luce celebres emanationes [X.] produxit. Reliquæ quoque literæ eſſe videntur uberrimus veluti fons, ex quo innumera profluunt arcana. Poſtrema quatuor literarum ה Numinis, & Creatoris unitatem patefacit. Grammaticalis, ac vera ratio cur nomen יהוה conſtat quatuor literis hæc eſt, quoniam perfecta Hebraica nomina habent quatuor literas, tres nempe thematis, quartam denique heemanticam, quæ nomen efficit.

Al-

(a) XXVIII. 21.

Allegorica vero cauſa eſt, quoniam numerus quaternarius primus eſſe conſpicitur qui non modo ſit perfectus, & æqualis, verum etiam habeat principium, medium, & finem. Iterum hic numerus efficit quadratum geometricum, figuram nempe firmiſſimam; hinc de Cæleſti civitate hæc habet S. Joannes [a]: *καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται & civitas in quadro poſita eſt.* Quaternarius numerus virtute ſua eſt omnis quantitas, numerus, virtus, atque elementum, adeoque ſacer habetur in ſacris Literis, veluti in quatuor Cherubim (b), & quatuor animantibus (c) hoc manifeſtiſſime apparet. Permulta equidem, quæ ad hanc rem ſpectare poſſe videntur refert Philo Judæus (d). Pythagoricæ ſectæ Philoſophi cum pene omnia ex numeris profecta eſſe arbitrarentur, ob eam potiſſime cauſam quaternarium numerum illis anteferebant. Omnia quæ exiſtunt, ut illi ajebant, elementa, cardinales venti, Terrarum Orbis fines, atque ætatum conjunctiones quaternarius numerus copulavit. Exinde corpus quadratum, ut etiam cubus, perfectum eſt, quia ſex habet ſuperficies quadratas æquales, quarum unicuique ſunt quatuor lineæ, & quatuor anguli, & in quocunque loco collocetur ſemper rectos angulos efficiet. Hinc quoque affirmabant, animam ipſam ratione præditam conſtare ex quaternario numero, nimirum ex mente, ſcientia, opinione, ac ſenſu. Cum ſuum præſtarent jusjurandum illi, qui Pitha-go-

[a] *Apocal. XXI. 16.*
(b) *Ezech. I.*
(c) *Apocal. IV.*
(d) *De plantat. Noe lib. II.* poſt med. & *lib. III. De vita Moſ.* poſt init.

goricæ ſapientiæ nomen addixerunt præfato numero uſi ſunt: *Οὐ μὰ τὸν ἁμέτρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν. Non per illum, qui noſtræ animæ dedit quaternarium*, vel ut ait Macrobius (*a*): *Per qui noſtræ animæ numerum dedit eſſe quaternum* [*b*]. Jurabant ergo Pythagorici per quaternarium numerum, tanquam ſummum quo fides nitatur, & credulitas firmari poſſit, atque hoc jusjurandum firmius eſt habitum, ut ait Joachim Rhingerberglus (*c*), eo quod pene apud omnes gentes Dei nomen ſit fere tetragrammaton (XVIII.) Erat autem hujuſmodi ſacramenti hæc forma:

*Juro ego per ſanctum pura tibi mente quaternum,*
*Æternæ fontem naturæ, animique parentem.*

Denique illi Philoſophi, qui ut profanum vulgus arcerent, vel majorem arcanæ doctrinæ venerationem aliis conciliarent, obſcuris admodum verborum ambagibus, ſymbolis, ænigmatibus dogmata celare conſueverant, atque permulta alia excogitare poterant ſi agnoviſſent, præcipuum Dei nomen יהוה mirabili omnium pene dixerim gentium conſentione tantum exprimi nomine tetragrammato.

CA-

(*a*) *Lib. I. in ſomn. Scip. cap.* 6. Vid. *Selden. de Diis Syr. Syntag.* II. *cap.* 2. *cum addit. Andr. Beyer.*
(*b*) *Plut. lib.* I. *cap.* 3. *de Plac. Philoſ. Volat. lib.* 35. *Philolog. Obſerv. de Os. Mat.* in fin.
(*c*) In lib. *de rat. ſtud.*

## C A P U T IV.

### *De obſervantia, quæ nomini Divino ab Judæis tributa eſt.*

XX. Quamvis Dei nomen jure quidem ac merito ſummo honore proſequutæ fuerint Nationes omnes, quæ ſupremam eſſentiam noverunt, utpote quæ habetur principium, cunctarumque rerum poſtremus finis, nihilominus Hebræi, ut ab aliis peculiariter diſtinguerentur, ſanctum hoc nomen ſuperſtitioſe coluerunt tum cum exprimebatur dictione יהוה, quæ non modo illius eſſentiæ plenitudinem abſolute repræſentat, verum etiam illam infinite perfectam eſſe nobis oſtendit (XIV. XVI.) Illud plane animadvertendum hoc loco videtur, Deum eſſe unam eſſentiam, & naturam ſimpliciſſimam, in qua infinitæ continentur perfectiones, quæ ſunt unica res indiviſa numero propter ſimplicitatem Divinæ ſubſtantiæ in ipſo Deo, licet quæ in creaturis reperiuntur diviſæ ſint, atque diſtinctæ. Quia vero Deus unica res eſt, unicum ei nomen competebat. Nomen יהוה ipſam ſimplicem, & puram eſſentiam ſignificat, ſed excellentiſſima quadam ratione, ut eſt pelagus omnium perfectionum; oritur enim ab eſſentia, eo quod denotet eum, qui eſt, & qui aliquid eſſe facit, quod quidem radix, & fundamentum eſt omnium Divinorum nominum. Eſſentia autem Dei continet eminenter omnes perfectiones, vel formas, a quibus cetera nomina Dei impoſita ſunt. Quare hoc nomen non ſolum ratione rei ſignificatæ, ſed etiam ratione modi ſignifi-

can-

candi eſſentiale habendum eſt. Judæi exiſtimarunt maximam eſſe profanationem, æternaque pœna dignam, ſi quiſpiam ineffabile Dei nomen proferret, ideoque ab iiſdem ſancitum eſt, eos nece plectendos, qui illud enunciaſſent (a). Veruntamen Sacerdoti duntaxat ſemel quolibet anno, die nimirum feſti Propitiationis illud proferre fas erat; quo quidem tempore ſolemnis benedictio populo erat impertienda, quemadmodum etiam hoc ipſum oſtendit R. Maimonides (b). Et ſane præcepit Dominus Moyſi, ut Aaron, ejuſque filii benedicerent filiis Iſrael tali pacto: יברכך יהוה וישמרך : יאר יהוה פניו אליך ויחנך : ישא יהוה פניו אליך *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te* (c). Certum tamen eſt quod a Maimonidis opinione nequaquam aborruit Flavius Joſephus (d), qui licet Sacerdotio eſſet initiatus, tamen referens preces, quas Moyſes ſudit, ut Deus illi ſuum nomen patefaceret, ita loquutus eſt. καὶ ὁ θεὸς αὐτῷ σημαίνει τὴν ἑαυτοῦ προσηγορίαν, οὐ πρότερον εἰς ἀνθρώπους παρελθοῦσαν, περὶ ἧς οὔ μοι θέμις εἰπεῖν. *Tum Deus aperit ei ſuum nomen nunquam antea hominum ulli auditum, aut cognitum: quod mihi eloqui nec jus, nec fas eſſe arbitror.* Petrus Galatinus (e) hoc refert Judæorum effatum excerptum ex libro *Sanchedrin* (f): *qui pronuntiat nomen tetra-*

[a] *Philo Jud. de vita Moſ. lib. III.*
(b) *More Nevoch. part. I. cap. 60.*
(c) *Num. VI. 24. 25. 26.*
(d) *Antiq. Judaic. part. I. cap. 60.*
(e) *De Arcan. Cath. Relig. lib. II. cap. 10.*
(f) *Cap. Haloch.*

*tragrammaton, non habet partem in futuro ſæculo.* Inſuper Judæi in Talmud malum illis imprecantur, qui hoc nomen proferre audent, neque Angelos illud enunciaſſe opinantur. R. Caninæ Ben Tevadion (*a*), eo quod illi legi non obtemperaſſet, quæ nomen יהוה reticeri præcipiebat, flammarum mulctam irrogarunt, ejuſque uxori, quæ culpa minime vacavit, collum præciſum eſt. Hoc quoque nomen cum pronunciatum fuerit a filio Iſraelitidis cujuſdam lapidibus obrutus ipſe eſt (*b*): Etenim juxta Helleniſtas, *καὶ ἐπονομάσας ὁ υἱὸς τῆς γυναικὸς Ἰσραηλίτιδος τὸ ὄνομα* is dicitur, qui nomen tetragrammaton, ut ſcribitur, expreſſerat [ XVIII. ]. Voluit Deus ipſum Summum Sacerdotem in חושן ſive *pectorali*, quo illius pectus tegebatur, duodecim habere lapides, in quibus erant deſcripta duodecim nomina tribuum (*c*), atque in illius extremitate, quæ cum Ephod colligabatur, catenæ aureæ cum duobus annulis aureis mirifice effulgebant, cui demum Vrim, & Thummim addita erant. Cum autem illi lapides in pectore eſſent Summi Sacerdotis illius humeris incubabant, in qua Dei nomen יהוה exſtabat, ut oſtenderetur, hunc populum ad illum ipſum Deum ſpectare, cujus in ſe Divinum miſterium exprimebat. En verba Sacri Textus:
ועשית חשן משפט מעשה חשב כמעשה אפד תעשנו זה
תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר תעשה אתו : רבו
יהיה כפול זרת ארכו וזרת רחבו : ומלאת בו מלאת אב
ארבעה טורים אבן טור אדם פטדה וברקת הטור האחד. והטו
השני נפך ספיר ויהלם : והטור השלישי לשם שבו ואחלמה
והטור הרביעי תרשיש ושהם וישפה משבצים זהב יה
במלואתם :



(*a*) *Avoda Sarah cap. I. fol.* 18.
(*b*) *Levit. XXIV.* 11.
(*c*) *Exod. XXVIII.*

במלואתם: והאבנים תהיין על שמת בני ישראל שתים
עשרה על שמתם פתוחי חותם איש על שמו תהיין לשני
עשר שבט: ועשית על החשן שרשת גבלת מעשה עבת
זהב טהור: ועשית על החשן שתי טבעות זהב ונתת את
שתי הטבעות על שני קצות החשן: ונתתה את שתי עבתת
הזהב על שתי הטבעת אל קצות החשן. ואת שתי קצות
שתי העבתת תתן על שתי המשבצות ונתתה על כתפות
האפד אל מול פניו: ועשית שתי טבעות זהב ושמת אתם
על שני קצות החשן על שפתו אשר אל עבר האפד ביתה:
ועשית שתי טבעת זהב ונתתה אתם על שתי כתפות האפוד
מלמטה ממול פניו לעמת מחברתו ממעל לחשב האפד:
וירכסו את החשן מטבעתו אל טבעת האפד בפתיל תכלת
להיות על חשב האפד ולא יזח החשן מעל האפוד
ונשא אהרן את שמות בני ישראל בחשן המשפט
על לבו בבאו אל הקדש לזכרן לפני יהוה תמיד:
ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התמים
והיו על לב אהרן בבאו לפני יהוה ונשא אהרן את
משפט בני ישר אל על לבו לפני יהוה תמיד: *Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam ſuperhumeralis ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque biſtincto, & byſſo retorta. Quadrangulum erit, & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine. Poneſque in eo quatuor ordines lapidum: in primo verſu erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus: in ſecundo carbunculus, ſapphirus, & iaſpis: in tertio ligurius, achates, & amethyſtus: in quarto chryſolythus, onychinus, & beryllus incluſi auro erunt per ordines ſuos. Habebuntque nomina filiorum Iſrael: duodecim nominibus cælabuntur ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus. Facies in rationali catenas ſibi invicem cohærentes ex auro puriſſimo: & duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis ſummitate: catenaſque aureas junges annulis, qui ſunt in marginibus ejus:*

*jus: & ipſarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere ſuperhumeralis, quod rationale reſpicit. Facies, & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus rationalis, in oris, quæ a regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora ejus aſpiciunt. Nec non & alios duos annulos aureos, qui ponendi ſunt in utroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari poſſit cum ſuperhumerali, & ſtringatur rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabrefacta, & a ſe invicem rationale, & ſuperhumerale nequeant ſeparari. Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali judicii ſuper pectus ſuum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. Pones autem in rationali judicii Doctrinam, & Veritatem, quæ erant in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & geſtabit judicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper.* Et paulo inferius hæc leguntur: ועשית ציץ זהב טהור ופתחת עליו פתוחי חתם קדש ליהוה ושמת אתו על פתיל תכלת והיה על המצנפת אל מול פני המצנפת יהיה: והיה על מצח אהרן ונשא אהרן את עון הקדשים אשר יקדישו בני ישראל לכל מתנת קדשיהם והיה על מצחו תמיד לרצון להם לפני יהוה: *Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. Ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram, & imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ abtulerunt, & ſanctificaverunt filii Iſrael in cunctis muneribus, & donariis ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte ejus, ut*

*placatus ſit eis Dominus.* Tanta veneratione Judæi nomen יהוה proſequuti ſunt, ut ſummus Pontifex, veluti jam obſervatum a nobis eſt, laminam auream, in qua illud cælatum erat, in fronte geſtaret. In illa lamina aurea, quæ erat in fronte ſummi Pontificis ſcriptum erat charactere Aſſyrio, vel potius Samaritano קדש ליהוה *Sanctitas Domini*, cujus inſcriptionis meminit quoque Joſephus Scaliger. Hoc Philonis teſtimonio (*a*) ea, quæ diximus manifeſtiſſime illuſtrantur. *χρυσῦν δὲ πέταλον ὡσανεὶ στέφανος ἐδημιυργεῖτο τέτταρας ἔχον γλυφὰς ὀνόματος* (*b*). Magnus deinde Alexander cum Jaddo ſe ſiſteret in terram provolutus nomen illud coluit, ſalutemque Pontifici precatus eſt [*c*]. Inſuper Abraham Zacut auctor libri Juchaſin (*d*) ait: *Chronica Regum Gentium dicunt, Alexandrum vidiſſe in lamina, quæ in fronte ipſius Simeonis Juſti, τὸ ὄνομα, quod in Lingua Græca τετραγράμματον vocatur, ideſt* שם בן ד אותיות *nomen filius quatuor literarum.*

XXI. Galatinus [*e*] una cum Maimonide autumavit, ſacratiſſimum nomen יהוה non amplius fuiſſe pronunciatum poſt obitum Simeonis Juſti, qui ſuccedens Hillel Moderatori novi Sanhedrin maximam nominis exiſtimationem confecutus eſt propter ortum, auctoritatem, poſteritatem, ſcientiam denique, qua illuſtriores Hebræorum Doctores lon-

(*a*) *De vit. Moſ.*
(*b*) Vid. *Hieron. in Comm. Ezech. I. Theod. in Exod. quæſt. XV. Chryſoſt. hom. 66.*
(*c*) *Joſeph. Antiq. Jud. lib. XI. cap. 8.*
(*d*) *Fol.* 14.
(*e*) *De Arcan. Cath. Relig. lib. II. cap. 9.*

longe antecelluit (*a*). Galatini vero, & Maimonidis ſententia confirmatur a Talmud Babylonico [*b*], in quo hæc leguntur: משנת שמעון הצדיק נמנעו אחיו הכהנים מלברך בשם *Ex quo mortuus eſt Simeon Juſtus, ceſſarunt Sacerdotes benedicere per nomen, ſcilicet* המפורש. Opinatur autem Galatinus, hunc Simeonem illum fuiſſe, qui excepit in ulnis puerulum Jeſum quando in templo præſentatus eſt, eumque intuens canticum *Nunc dimittis* pronunciavit (*c*). Ubi e vivis exceſſit Simeon ejus locum ſubivit Gamaliel illius filius, qui eo tempore Sanhedrin præerat, quo S. Petrus, aliique Apoſtoli illuc pervenerunt (*d*). Fuit quoque ille præceptor, ad cujus pedes S. Paulus ſecta, juſtitiaque Phariſæorum eruditus eſt [*e*]. Cæterum R. Maimonides loquitur de illo Simeone, qui in ſummo Pontificatu ſucceſſit Iaddo, ſeu Iadduæ, qui juxta Joſephum Hieroſolymis Alexandrum excepit, non jam de illo, qui Chriſtum infantulum ſuſcepit in ulnis, quoniam tanto ævo ingraveſcenti [illegible] nequaquam poterat. Galatino refragatur R. Iſaac Abarbaniel, qui uno eodemque tempore hunc Simeonem, atque Ariſtotelem floruiſſe cenſet. Alioquin, ut ego arbitror, hoc nomen haud amplius enunciatum fuit poſt everſionem templi; quandoquidem ibi duntaxat illud proferri fas erat, atque ſi fides habenda eſt Philoni co-

(*a*) *Zacut in Juchaſin. Buxtorf. Lexic. Rabbin. col. 617. & de Abbrev. pag. 48. & 58. Vorſt Obſerv. ad Zemach. David. & Lightfoot Harmon. N. Teſt. part. 1. §. 8.*
[*b*] *Joma cap. IV.*
(*c*) *Luc. II. 28.*
[*d*] *Act. V. 34.*
(*e*) *Act. XXII. 3.*

coram Sacerdotibus [*a*]. Quare vera, ac ſincera illius pronunciatio procedente tempore ſenſim evanuit. Veruntamen poſtquam templum dirutum eſt aliquandiu peculiaribus quibuſdam viris illud nomen innotuit, quemadmodum evidentiſſime demonſtrant exempla R. Chinnanah, & alterius אסיא Medici in Tzipporia, שהיה בידם שם המפורש in quorum manibus fuit nomen tetragrammaton (*b*). Non amplius hoc nomine Sacerdotes utebantur, dum populo benedicebant, ſed illo tantum, quod duodecim literas complectebatur. Commemorant Judæi celeberrimum quemdam Rabbinum Akibæ præceptorem, qui Tarphon cognominabatur, quem Lightfoot [*c*] illum ipſum eſſe autumavit, cum quo ſuam diſputationem inſtituit S. Juſtinus martyr, qui quidem multis circumfluens copiis liberalis, & munificus fuit in pauperes. Quoniam vero diſciplinæ Shammai penitus inhæſit plurimi fuit apud omnes, innumeræque illius ſententiæ temporis rerum omnium edacis injuria nequaquam perierunt, & ad nos uſque pervenere. Ille doctor morum doctrinam ſartam tectam non conſervans illorum corruptelas tollendas nunquam curavit; auctor tamen eſt (*d*) non amplius eo tempore nomen duodecim literarum fuiſſe pronunciatum. Nomen יהוה ineffabile eſt, quoniam Dei eſſentiam magis explanat, quam reliqua illius nomina deſumpta ab attributis, per quæ tantum oſtendi-

[*a*] *Lib. de vit. Moſ.*
(*b*) *Medraſch Koheleth cap. III.* 11. Vid. *Talmud. Kidduſchin cap. IV. Joma cap. III.*
(*c*) *Chron. Temp. Sect. V. tom* 2.
[*d*] *Maimon. More Nevoch. part. I. cap.* 62.

ditur. Tandem Profani, cujus numerus auctus, poſtquam mortem oppetiit Simeon Juſtus, illo abuſi fuerunt, atque ob eam potiſſime cauſam illud proferre vetitum fuit, atque in locum ineffabilis Dei nominis alterum duodecim literarum ſuffectum, atque a Sacerdote prolatum, cum populo benedictionem imperriebatur. Tarphon, cujus meritis laudum ornamenta tribuuntur, narrat, quod cum aliquando ad Sacerdotem appropinquaſſet, ut ſuam benedictionem audiret, cognovit, eum non amplius duodecim literas clare, diſtincteque efferre, ſed tantum muſſitare tum cum fratres canebant, cujus quidem permutationis ratio repetenda eſt ex infinito Profanorum numero, qui crebro augebatur. Præterea S. Hieronymus [*a*], Origenes (*b*), & Euſebius [*c*] teſtantur, Judæos, qui illorum ævo floruerunt, ſuis in exemplaribus ſcribere conſueviſſe nomen יהוה veterum Samaritanorum characteribus, quamvis univerſum opus eſſet exaratum Chaldæorum literis, aut illis, quibus Hebræi vulgo utebantur; ex quo infertur, maximam fuiſſe venerationem, quam ſancto nomini impenderunt. Obſcuris hiſce characteribus ſcribendum eſſe crediderunt, ne illud agnoſcerent advenæ, atque Ethnici, qui linguam, & Chaldæorum ſcriptum nequaquam callebant. Verum oleum, operamque perdiderunt quandoquidem Ethnici ſæpiſſime ſancto nomine abuſi ſunt illud adhibentes non modo ad avertendos ex humanis corporibus immundos ſpiritus, ſed etiam dum ægrotis amuleta

præ-

(*a*) *In lib. Reg. Pref. & in Ezech. 9.*
(*b*) *Fragm. Orig. in Palaegr. Græc. lib. II. cap. 1.*
(*c*) *In Chron. ad 4740.*

præbuerunt (*a*). Collo, pectorique appendebant chartulas in tria latera plicatas, quæ triangularem figuram efficerent, atque hujuſmodi amuleta, quæ קמיעות vocantur, magni faciebant (*b*).

XXII. Judæi vi hujuſce ſacri nominis admiranda quædam contigiſſe docuerunt; cum enim, ut ipſi affirmant, illud in aures Ægyptiorum Regis prolatum fuiſſet, ipſe confeſtim vita functus eſt (*c*). Inſuper arbitrantur eum, qui recte pronunciabit nomen יהוה [*d*], omnia a Deo conſecuturum; contra vero autumant, fruſtra Deum obteſtaturum illum, qui ejus pronunciationem prorſus ignorat. Impudenter admodum nonniſi hoc ſacro nomine Jeſum Chriſtum ſua patraſſe miracula ſe demonſtrare poſſe gloriantur. Etenim auctor libri Nizahon mentitur, dum cenſet, Chriſtum ſervatorem noſtrum, miracula illa, quæ fecit, vi hujus nominis יהוה perpetraſſe, haud ſecus quam Magi precibus quibuſdam mira agere videntur. Nonnulli in animum ſibi inducunt, nomen יהוה quamdam in ſe habere virtutem, quæ ſupra naturam eſt, ideoque illud quoque a nomine *Jeſu* contineri opinantur; addunt enim ineffabili nomini S, & legunt *Jehoſchuah*, vel *Jeſus*. Poſtmodum ibi miranda myſteria conſpicientes dicunt, literam S, quam complectitur nomen יהוה, cui addito ש legunt יהשוה, demonſtrare ignem iræ Dei ab Jeſu Chriſto eſſe extinctum, vel De-

(*a*) *Orig. lib. I. cont. Celſ.*
(*b*) *Schudt. Memorab. Judaic. part. II. lib. 6. cap. 32. §. 16. Wolf. Bibl. Hebr. part. I. pag. 1047. part. II. pag. 1377.*
(*c*) *Clem. Alex. Strom. lib. V.*
(*d*) *Medieſch. in Pſ. XII. Druſ. Tetragramm. cap. X.*

Deum ſupremum hominem eſſe factum. Juxta Hebræorum mentem, ut in eorum cabala videri poteſt, innumera prodigia fieri poſſunt Dei nomine יהוה, quo perperam abutuntur ad efficienda ea, quæ ſunt ſupra naturam, eo ſane modo, quo ii, qui eos præceſſerunt, ac præſertim quidam homines ſanctitatis laude celeberrimi in Iſraelitico Populo hoc nomine mirabilia ediderunt, quæ longiſſime humanum intellectum ſuperarunt, ac proinde hujuſmodi, quæ ſilentio obvolvenda arbitror, ſe peragere poſſe inepte prædicant. Inſulſa, ac nefaria Judæorum figmenta proſtant apud Eiſenmengerum (*a*), & Schudtium [*b*]. In Cabaliſtarum ſcriptis frequentiſſime mentio occurrit nominis יהוה, quemadmodum præ ceteris oſtendunt libri Jezirab, & Zohar (*c*). Quidam vero autumant, Vrim, & Thumim nil aliud fuiſſe, quam τετραγράμματον, ineffabile nempe Dei nomen myſtica ratione ſcriptum, vel inſculptum, atque in duas partes, duoſque diſcrepante modus diſpoſitum, quod a Moyſe in pectorali conſtitutum fuit, unde illi erat facultas reddendi oracula. Hanc omnes unanimi conſenſu opinionem tuentur Rabbini [*d*], quorum plerique de mira hujuſce nominis vi diverſe ſentiunt. Quapropter cum omnia Jeſu Chriſti miracula evidentiſſime deprehendant (*e*) reſpondent, eum accepiſſe hoc nomen in templo ex petra fundamenti, in qua ſcri-



(*a*) *Jud. detect. part. I. cap. 3.*
(*b*) *Memorab. Judaic. part. II. lib. 6. cap. 31. §. 16.*
(*c*) Vid. *Lexic. Cabbal.* V. יהוה
(*d*) *R. Salomon, R. Moſes Ben-Nachman, R. Becai*, aliique.
(*e*) *Raymund. Pugio Fid. part. II. cap. 8, Buxt. Lexic. Rab. pag.* 2541.

ptum erat, ideſt ex petra, in qua antiquitus Arca collocata erat, atque iterum, cum illud adderet, ejus vi ſua patraſſe miracula exiſtimant. Ceteroquin impiam, explodendamque illorum ſuperſtitionem eſſe arbitror, qui opinantur, peculiarem quamdam vim ineſſe literis, characteribus, & numeris, quam etiam nonnulli ex ſanioribus Judæis jure refellunt (*a*). Huc quoque referenda ſunt verba Auctoris libri Cabaliſtici (*b*) ועתה בני שמע בקולי ותהיינה אזניך קשובות לעצתי, כני אם יפתוך חטאים אל תאבה. אם יאמרו לכה אתנו ונמסור בירך שמות והזכרות שתוכל להשתמש בהם, בני אל תלך בדרך אתם מנע רגלך מנתיבתם כי אותם השמות והשמושים כולם מיני רשת ומכמורות לצוד בהם הנפשות וללכת לאבדון וכו׳ videlicet *Mi fili, auſculta voci meæ, & aures tuæ attentæ ſunto ad conſilium meum: Si ſeducere conentur te peccatores, ne acquieſcito: ſi dixerint tibi, veni nobiſcum, & trademus in manum tuam nomina Divina, quibus poſſis uti; mi fili, ne abito in viam cum ipſis, contine pedem tuum a ſemita ipſorum, quia illa nomina, & uſus illorum, nil ſunt niſi retia, & laquei ad capiendum animas, & ducendas eas in perditionem.* Moyſi vero ſacroſanctum illud nomen Deus revelavit, non jam ut illo miracula perageret, ſed ut ex eo Iſraelitis veram Supremi Numinis cognitionem palam faceret, eoſque de veritate Divinarum promiſſionum ex æterna, & immutabili Dei eſſentia confirmaret. Præterea contumeliam, quam ſceleſto ore in Chriſtum effundunt Judæi in impudentiſſimo ſcripto, quod vocant תולדות ישו, fa-

(*a*) *R. Moſ. Ægypt. in Mor, Nevoch, part. I. cap. 61.*
(*b*) שערי אורה *fol.* 2.

facili negotio impugnari poſſe compertum eſt: Etenim ſua edidit miracula non per hoc nomen יהוה prolatum, ſed per rem hoc nomine ſignificatam, videlicet per ſuam Divinam naturam. Veruntamen hoc nomen יהוה ſpectaſſe videtur Chriſtus Dominus, cum ad illud alludens Judæis reſpondit (*a*): Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι. *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum*: quaſi diceret Ego יהוה nempe *qui ſum*, quo in loco hoc nomen ſibi convenire ſatis indicavit. Et quia hac voce *ego ſum* Judæi crediderunt ſibi uſurpaſſe nomen Dei tetragrammaton, ideo *tulerunt lapides ut jacerent in eum.* Ad hoc ipſum reſpexit Chriſtus (*b*) quando accepta cohorte a Pontificibus, & Phariſæis, ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ φανῶν, καὶ λαμπάδων, καὶ ὅπλων..... εἶπεν αὐτοῖς. Τίνα ζητεῖτε; Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον..... ὡς οὖν εἶπεν αὐτοῖς. Ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαί. *venit ad eum Judas cum laternis, facibus, & armis, dixitque eis, quem quæritis? qui reſponderunt, Jeſum Nazarenum, quibus cum dixiſſet:* Ego *ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram*, quaſi dixiſſet: *Ego ſum qui ſum*, Ego יהוה potentiſſimus, a quo cuncta dimanant, ac facile poſſum vos in nihilum redigere.

XXIII. Cum Judæi magis quam Græci peculiari, myſticaque ratione illa omnia, quæ ad ſuam religionem ſpectare poſſe videntur, explanare ſatagant, religione impediuntur quominus in ſuis elucubrationibus nomen יהוה ſcribant, ideoque ad illud innuendum,

F 2

(*a*) *Joann. VIII.* 58.
(*b*) *Joann. XVIII.* 3. 4. 5. 6. 7.

dum, quod eis pronunciare non licet, innumeras ſignificationes olim adhibuerunt. Quamobrem in vetuſtis Hebræorum codicibus nomen יהוה per duos, aut tres *jod* ſcriptum repentur, qui & circulo clauduntur, atque eis קמץ punctus ſubiicitur. Deinde Hebræi hujus nominis conſonantes extra Biblicum contextum non ſcribunt, ſed alias veluti ייי, ſubſtituunt. Præterea Judæi ad denotandum nomen illud ſcribunt שם המפורש pro שם (XVIII.), quod idem eſt apud nonnullos quod *nomen expoſitum, declaratumque*, veluti oſtendit R. Salomon; perinde ac ſi dicere vellet nomen יהוה alio nomine eſſe explicandum. Cum itaque hujuſmodi explanationem infirmiſſimam, ac nullo innixam fundamento eſſe deprehendiſſet Chriſtophorus Aloyſius Stieglız (*a*) adhæſit opinioni R. Maimonidis (*b*), qui arbitratus eſt, hæc verba שם המפורש ſignificare *nomen ſeparatum*, nomen quod nonniſi Deo convenit, neque rebus creatis tribui poſſe videtur (*c*). Dum occurrit השם, vel hæc nota compendiaria ה׳, *Deum* Judæi interpretantur, & cum hoc modo ſcribunt pronunciant *haſcem*, vel *Adonai*, niſi *Adonai Elohim* dicendum ſit. Nonnunquam Cabaliſtæ utuntur hiſce literis cum ſuis apicibus ה׳ ב׳ ק׳ ה׳, quæ ita enunciantur הקדוש ברוך הוא, nimirum *ſanctus benedictus ille*, quandoquidem ex illo oritur benedictio (*d*). Quidam alii nomen illud *nomen plenum*, ſive *perfectum*, *nomen ſubſtantiæ* vocarunt, quoniam alia Dei nomi-

(*a*) *Exercit. Philolog. de nom. tetragramm.* יהוה
(*b*) *More part. I. cap.* 60.
(*c*) *Ikkarim fol. LVII. col.* 1.
(*d*) *Numer. VI.* 24.

mina illius attribura, ac perfectiones potius exprimunt, quam eſſentiam. R. Aben-Ezra *nomen venerandum* nuncupavit. Ejuſmodi æquiſſimæ locutiones parum congruunt illi rationi, qua Judæorum Doctores ſeſe exprimere conſueverunt ita ut ex Chriſti cultoribus eas decerpſiſſe pene dixerim videantur. Lucanus (*a*) agens de Hebræorum Numine ita cecinit:

*Cappadoces mea ſigna timent, & dedita ſacris*
*Ignoti Judæa Dei.*

Hoc itaque modo locutus eſt Poeta, quoniam Judæi ignotum Deum colebant, cujus nomen ignorantes illud proferre non poterant. Ignotum autem Deum, & incertum Judæorum ideo habitum a Paganis quidam affirmant, quod nomen tetragrammaton ab illis non exprimeretur. Recentiores Judæi juſjurandum interponere renuunt evocantes nomen quatuor literarum, ac perraro, inviteque hiſce conceptis verbis juramentum præſtant [illegible] ', quod quidem ab illis maximum, ſacratiſſimumque ſacramentum habetur.

XXIV. Tanta Judæi Deum veneratione proſequuti fuerunt, ut dictum Numini contumelioſum eſſe autumarent malum ejus nomini יהוה imprecari, illudque nunquam profanandum arbitrarentur. Animadvertendum modo occurrit, verbum שם abſolute poſitum ſanctiſſimum Dei nomen, ipſumque Deum innuere (XVIII. XXIII.). Ex Veteri Teſtamento (*b*) Dei nomen nunquam eſſe profanandum eviden-

(*a*) *Pharſ. lib. II. V.* 592.
(*b*) *Levit. XXII.* 32. *Ezech. XX.* 14. & *XXXVI.* 22.

dentiſſime erudimur, veluti hæc verba oſtendunt: *cuſtodite mandata mea, ac facite: ego Dominus* לא תחללו שם קרשי *ne polluatis, ſeu profanetis nomen meum ſanctum, ut ſanctificer in medio filiorum Iſrael.* Juxta Hebræorum mentem Divinum nomen trifariam profanari poterat. In primis autem cum Hebræus, ut proximum interitum evitaret, Sacram Legem perfringebat, cum juxta illorum conſuetudinem, ac Majorum traditionem illi mors, ceu minus malum, potius ſubeunda eſſet, quam peccatum. Si vero ob adverſam valetudinem illius vita in extremum adducta erat diſcrimen, ægrotus vetita comedebat, atque ea omnia, quæ in Sacra Lege prohibita erant, efficere poterat, dummodo Idola non coleret, nec quemquam interimeret, neque turpia palam faceret. Si vero quiſpiam ex Hebræis eo tempore, quo nulla palam incumbebat perſecutio, Sacram Legem minis non ſervare cogebatur, ac mortem illi imminere agnoſcebat, exiſtimabant, eum legem penitus contemnere poſſe, ut necem vitaret, dummodo fictis Numinibus divinos honores non tribueret, aliquem non perimeret, neque turpia recenſeret. Inſuper ſi legem violaſſet non ut ſibi prodeſſet, ſed ut ſolum eam irritam faceret, tunc ſpectabant Hebræorum numerum, qui intererant, ac ſi illi decem, vel plures fuiſſent mors erat eligenda; ſi vero tot non eſſent obedientia morti anteferenda erat. Publica vigente perſecutione, veluti contigit imperante Antiocho Epiphane, qui Judæos ad Sacram Legem negligendam cogebat, non licere docebant propriam redimere vitam, tum cum alicui Legis parti minime eſt obtempe-

ran-

randum [a]. Illum, qui mortem oppetebat exigente Lege, arbitrabantur קידש את השם *nomen Divinum ſanctificare*, perinde ac ſi martyr eſſet, qui ſive ad beſtias projectus, ſive vivus combuſtus neceſſario decertat, veluti exemplo ſunt Daniel, Ananias, Miſael, Azarias, aliique. Si quis vero Legi non obtemperaſſet, neque mortem ſubiiſſet cum illa præcipiebat, dicebant חילל את השם eum *profanare Divinum nomen*, neque tunc in illum Judæi animadvertebant, ſed illius judicium cælo relinquebatur, uti confirmat Maimonides. Deinde nomen Divinum offendi poterat, cum quiſpiam præceptum aliquod contemptim violabat, quo Numen irritaret, quamvis ejus unitatem, & auctoritatem agnoſceret, neque omnino illum inficiaretur, ſed impudentiſſime contemneret. Poſtremo huc quoque referenda ſunt hæc verba Maimonidis (b): *Sunt etiam res aliæ, quæ nomine profanationis nominis Divini veniunt; veluti ubi tum eximia Legis ſcientia, tum ſingulari virtute vir celebris ea forſan feciſſet, quæ tametſi in Legem peccata alias non eſſent, eouſque nihilominus hominibus eſſent offenſioni ut eorum cauſa eum acrius etiam inclamando, convitiandoque reprehenderent* ( ideſt ſi humana habita ratione, vel propter ſocios, vel ob improbitatis exemplum, quod palam præbitum eſt, illum graviſſimis verbis objurgare non poſſent ) *Is enim profanabat etiam nomen Dei.* Poſteaquam exempla retulit, quæ ad unum tantum hominem referuntur, ſubjunxit: *& parilis eſt aliorum, quæ ſunt*

(a) *Joſeph. adverſ. Apion.*
(b) *Halach. Jeſude Tora cap. V.*

*ſunt id genus ratio.* Quod vero ſpectat ad Divini nominis execrationem, quæ appellatur גדופת השם opinantur, illam eamdem eſſe blaſphemiam, quæ rigide prohibetur, cum nempe conviciis afficitur omnipotentia, ſanctitas, atque Numinis unitas, vel impudentiſſime denegatur. Juxta Hebræos propter blaſphemiam plectendi erant Proſelyti domicilii, veluti Lex, quæ in Levitico (*a*) habetur, oſtendit. Statim ac filius Salumith ויקלל את השם יקב *expreſſit*, vel *blaſphemavit nomen*, & *maledixit*, juxta Dei præceptum lapidibus obrutus eſt [XX.]. Deinde Lex Sacra hæc addidit: ואל בני ישראל תדבר לאמר איש איש כי יקלל אלהיו ונשא חטאו· ונקב שם יהוה מות יומת רגום ירגמו בו כל העדה כגר כאזרח בנקבו שם יומת: *Et ad filios Iſrael loqueris: homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum. Et qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit. Qui blaſphemaverit nomen Domini morte moriatur.* Pro *blaſphemaverit* in vetuſtiſſimo Hebraico Textu hæc leguntur verba נקב שם יהוה quæ ita interpretari poſſunt *explanaverit*, *expreſſerit*, *nominaverit nomen Domini*. Judæi, qui in Mauritania morabantur, reddiderunt: *qui loquetur nomen Dei*, Hiſpani vero Judæi ita verti poſſe affirmabant *Y declarante nombre de A matar ſera matado.* Equidem verbum נקב non tantum nominare ſignificat, ſed *blaſphemia nominare*, veluti explicarunt ii, qui Orientalium linguas ſcite calluerunt. Quamobrem vertit Munſterus *blaſphemaverit*, Tremellius *execratur*, Schindlerus *proferens*, & *maledicens*, Caſtel-

(*a*) XXIV. 11.

ſtelli *exponens*, & *maledicens.* Celeberrimis illis viris, quorum teſtimonia congeſſimus, accedit R. Salomon Ben Melech, qui interpretatur verbum נקב non tantum nominare, ſed *nominare*, *ſimulque blaſphemare.* Targum vero (a) inquit: *væ illis*, *qui in blaſphemiis proferunt nomen ſanctum. Proſelyti*, vel *peregrini* voce utuntur Judæi, ut Ethnicum denotent, qui unum, idemque cum ipſis habeat domicilium (b), atque exiſtimant, hanc loquendi rationem איש איש *homo homo*, quæ vertitur *quicunque*, *univerſi*, in allato teſtimonio fuiſſe poſitam, quoniam complectebatur quoque Ethnicos, quibus ceu Iſraelitis nomen diris perſequi interdictum eſt. Præterea illam Legem, quo ad pœnam intelligentes dicunt, quod ſecundum ipſam non eſt aliquis reus mortis, niſi nomen expreſſerit (c), nimirum tetragrammaton, vel ut recte loquitur Gemara Babylonica *niſi maledixiſſet nomini nomine*, hoc eſt ſi quis cum protuliſſet nomen quatuor literarum adeo blaſphemaſſet, ut conjunxiſſet cum conviciis, vel quolibet alio Dei nomine, atque in enuncianda blaſphemia expreſſe nomen tetragrammaton indicaſſet. Recentiores Talmudiſtæ teſtantur ei, qui blaſphemabat proferendum fuiſſe nomen proprium, ut juxta Legem gravi pœna torqueri poſſet. Quare Gloſſa Talmudica [d] hæc habet: *Si ex ore ſuo non protulerit nomen*, *ſed ex alterius ore audito maledixerit*, *morte non eſt puniendus.* Gloſſa vero

G ei-

(a) *In Deut. XXXII. 3.*
(b) *Gemar. Babyl. ad tit. Sanhedr. cap. VII. fol. 56.*
(c) *Gemar. Babyl. ib. fol. 56.*
[d] *Tit. Sanhedr. fol. 55.*

eidem Legi addidit: *Reus* ( ideſt mortis ) *non eſt, niſi qui expreſſerit ipſum nomen, neutiquam vero qui cognomina malediceret*: ideoque juxta hanc interpretationem interimendus non erat Proſelytus domicilii, neque Judæus, niſi ipſum Deum, ſeu nomen tetragrammaton execratus eſſet. Quoniam vero Judæi exoptabant, gravioribus pœnis affici Ethnicos, vel Proſelytos domicilii, quam Hebræorum cives, ideo interimebant illum domicilii Proſelytum, qui blaſphemiis, vel maledictis non modo aliquod cognomen, ſed etiam proprium Dei nomen proſcidiſſet (*a*). Quidam ex Talmudiſtis, veluti teſtatur R. Meir (*b*), opinati ſunt, illam Legis partem, in qua de poſtremo agitur ſupplicio, omnia complecti Dei cognomina. Nonnulli autem ex Rabbinis necandum eſſe crediderunt Proſelytum domicilii, qui in blaſphemia aliquod Dei cognomen, ſeu magnum ejus nomen proferre auſus eſſet. Quare hæc omnia confirmarunt in magno ſynedrio, cum aderat Chriſtus Jeſus: Caiphas enim ſummus Judæorum Sacerdos ait [*c*]: Ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ἵνα ἡμῖν εἴπῃς, εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Σὺ εἶπας. πλὴν λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. Τότε ὁ Ἀρχιερεὺς διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ λέγων, ὅτι ἐβλασφήμησε· τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; ἴδε, νῦν ἠκούσατε τὴν βλασφημίαν αὐτοῦ. Τί ὑμῖν δοκεῖ; Οἱ δὲ ἀποκριθέντες,

εἶ-

(*a*) *Maimonid. Halach Melakim cap. IX.*
[*b*] *Gem. Babyl. ad Tit. Sanhedrin. cap. VII. fol. 56.*
[*c*] *Matth. XXVI. 63.*

εἶπεν. Ἔνοχος θανάτου ἐστί. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei. Dicit illi Jeſus, tu dixiſti. Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam; quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt, reus eſt mortis*, vel ut ait S. Marcus (*a*) Οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου *Omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis.* In allato teſtimonio Chriſtus nullam mentionem injecit de proprio Dei nomine, ſed palam loquitur de cognomine in iis verbis *ſedentem a dextris poteſtatis*, nempe גבורה quod verbum ſignificat aliquod Dei cognomen, ideoque Judæi ſubjunxerunt: Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν, ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν. *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Hebræi ſuis in Commentariis non raro accipiunt filium hominis pro ipſo homine, atque etiam filium Dei pro ipſo Deo (*b*). Rabbini vero hoc pacto interpretantur Sacræ Legis verba [*c*], ut qui blaſphemias evomuiſſent, Hebræi nimirum, poſtquam lapidati ſunt, illorum corpora ſole in occaſum vergente ſuſpenſa in patibulo remanere deberent (*d*). Hinc mirum videri non debet ſi Judæi,

 cum

(*a*) *Cap. XIV. 64.*
(*b*) *Philon. de vit. Moſ. lib. III.*
(*c*) *Deut. XXI.*
[*d*] *Gemar. Babylon. ad Tit. Sanhedrin. cap. VI. fol. 45.*

cum Chriſtum odio haberent, illorum opinionem amplexi ſunt, qui juxta eorum leges morte pleſtendum affirmarunt. Cum autem Caiphas blaſphemiam Chriſtum protuliſſe arbitraretur ſcidit veſtimenta ſua, quæ conſuetudo invaluit quoque in Oriente, cum nempe quiſpiam graviſſimo dolore conficiebatur (a). Huc item referenda ſunt hæc verba Ven. S. R. E. Cardinalis Cæſaris Baronii (b): *Hac conſuetudine ceteri, haud tamen Sacerdotes, tenebantur: nam Divina Lege Sacerdotibus* (c) *vetitum erat, ne ſua ſcinderent veſtimenta. Sed Caiphas illa contempta, quo ceterorum adſtantium animos in Chriſti perditionem magis ac magis concitaret, furore quodam percitus, primus Summorum omnium Pontificum, quorum ſit memoria, ſic ſua veſtimenta conſcidit.* Sacræ Leges (d), quibus Sacerdotibus vetitum eſt, ne ſua ſcindere poſſint veſtimenta, loqui tantummodo videntur de veſtibus ſacerdotalibus, quibus in ſacris miniſteriis utuntur. Ex hactenus dictis evidentiſſime colligitur, vetuſtiſſimam Judæorum nationem ob cultum, quem nomini יהוה exhibuit, rigide animadvertiſſe in eos, qui magnum nomen, vel quoddam Dei cognomen maligno ore execrabantur. Jeſus Chriſtus in Nova Lege (e) oſtendit maximam eſſe poenam adverſus illos, qui per blaſphemiam, aut execrationem impie Dei, ac Cælitum honori detrahebant.

Præ-

[a] *Job. I. 20.*
[b] *Annal. tom. I. A. Chr. 34.*
(c) *Levit. X. 6. & XXI. 10.*
(d) *Idem ibidem.*
(e) *Matth. XII. 31.*

Præterea ſecularibus legibus præter linguæ amputationem plecti capite jubebantur (*a*): ex Sacris vero Sanctionibus Clerici blaſphemantes erant deponendi, Laici vero excommunicationis vinculo adſtringendi [*b*]. Memoria hic opportune repetenda ſunt nonnulla jura, quæ quidam Principes adverſus Divini Numinis obtrectatores graviſſima addita pœna ſanxerunt. Et ſane Carolus V. Maximilianus (*c*) blaſphemos, & audientes, neque accuſantes, & Judices vindictam conniventes acriter puniri jubet. Philippus VI. Valeſius blaſphemos in Deum, Virginem Mariam, & Divos, ſanctione ſua primum ad numellas verſatiles publice adjudicari voluit. Si vero iterum in idem crimen incidiſſent ad eaſdem numellas verſatiles adjudicandi erant, ac die nundinarum coram frequenti populo decreverat ſuprema labra ita findi ferro candente, ut dentes apparerent; tertia vice labium inferius; quarta abſcindi utrumque labium; quinta linguam, ut per eam per quam peccaverant torquerentur. Idem ſtatuerunt paucis immutatis Carolus VII. Franciſcus I. Henricus II. aliique Reges, ut ex eorum conſtitutionibus de blaſphemis luculentiſſime apparet (*d*). Tandem Ludovicus Rex Galliarum, ſi quiſpiam Numinis, ac Sanctorum nomen nefarie, aut jurejurando, aut execrando uſurpare auſus eſſet, ejus fronti candenti lamina notam inuri voluit (*e*), quam qui-

(*a*) *Novell. LXXVII. cap.* 1. §. 2. *Auth. qu.* 2. *R.* 1. *de maledic.*
(*b*) *Can.* Si quis. 10. *XXII. qu.* 1.
[*c*] *Conſtit. polit. edit. in comit. Vindelic. A.* 1548. *Germ, tit.* I. *cap.* 1. 234.
(*d*) Vid. *Boer. Dec.* 201. *num.* 15. *& ſeq.*
(*e*) *Paul. Æmil. lib. VII. Hiſt. Franc.*

quidem pœnam calumniatoribus quoque fuiſſe olim ſubeundam alibi (*a*) ego ipſe demonſtravi.

## CAPUT V.

### *De magni Nominis Dei pronunciatione.*

XXV. S. Juſtinus martyr (*b*) pro ineffabili nomine legit, atque intelligit nomen *Jeſu*. S. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam animadvertit, quoſdam ex Patribus perlegiſſe, ac quondam ſcripſiſſe hoc pacto nomen tetragrammaton, nempe *Pipi*, quod quidem ie peregrile arbitror, quoniam primis illis temporibus Linguam Sanctam parum callebant: Etenim nomen יהוה Hebraicis literis exaratum in Græcas literas parum diſcrepantes ab Hebraicis vertebant, cumque exiſtimarent literam ה eſſe Π Græcum, ו, & י, Ιῶτα Græcorum ulla abſque ratione *Pipi* legebant. Inter alia, quæ id genus afferri poſſunt exempla unum, aut alterum nobis ſuppeditat Flavius Joſephus Hiſtoricus, qui aſſerit (*c*), Abel denotare πένθος, nimirum luctum: Ἄβελος δὲ, ὁ δεύτερος σημαίνει δὲ πένθος τοῦτο: ita interpretatur Gelenius; *Abel autem ſecundus; Ea vox luctum ſignificat*. Hæc vox Abel non oritur ex radice אבל *luxit*, quæ ſcribitur ſine aſpiratione, ſed ex radice הבל *vanitas*, quod nomen Heva mater cunctorum viventium cum futurorum temporum miſeram conditionem contemplaretur proprio filio tribuit. Origenes

(*a*) *De Juram. Cal. Tract. cap. VI. §. 29.*
(*b*) *Dialog. cum Tryph. Jud.*
(*c*) *Lib. I. Antiq. Jud.*

nes vero agens de ineffabili Dei nomine inquit (*a*): *In Hebræorum literis nomen Dei, hoc eſt Deus, vel Dominus diverſe ſcribi dicitur: Aliter enim ſcribitur Deus, quicunque Deus; aliter Deus ipſe, de quo dicitur audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. Iſte ergo Deus Iſrael Deus unus, & Creator omnium certo quodam literarum ſigno ſcribitur, quod apud illos τετραγράμματον dicitur. Si quando ergo ſub hoc ſigno in ſcripturis ſcribitur Deus, nulla eſt dubitatio, quin de Deo vero, & mundi Creatore dicatur. Si quando vero aliis, ideſt communibus literis ſcribitur, incertum habetur utrum de Deo vero, an de aliquo ex illis dicatur, de quibus Apoſtolus dicit: tametſi ſunt qui dicantur Dii ſive in cælo, ſive in terra; ſicut ſunt Dii multi, & Domini multi, nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia, & nos per ipſum. Aiunt ergo qui Hebraicas literas legunt in hoc loco, Deum non ſub ſigno tetragrammate eſſe poſitum, de quo qui poteſt requirat.* Origenes ergo exiſtimavit, idem Dei nomen ſcribi conſueviſſe quibuſdam aliis literis, perinde, ac ſi in ſolis literarum ſignis diſcrimen adeſſet. Veriſimile admodum eſt, Judæos tunc crediſſe hoc nomen ab aliis κατ' ἐξοχὴν eſſe diſtinguendum, cum quibuſdam notis utantur, veluti illud ſcribunt noſtri Hebræi, quæ nomen quatuor literarum exprimunt, ideoque illas τετραγράμματον nuncuparunt. Hæc omnia, quæ de notis hujuſce nominis Origenes loquutus eſt, excepſit S. Baſilius in epiſtola ad Amphilochium, cu-

(*a*) *Hom. XIV. in Num.*

cujus ingenua opinio exponitur a S. Damaſceno (*a*) his verbis ὡς ἡ παλαιὰ τῶν Ἑβραίων εὐλάβεια ἰδίοις σημείοις τὸ ἀνεκφώνητον ὄνομα τοῦ Θεοῦ διεχάραττε, καὶ ἐκ τούτου τὴν κατὰ πάντων ὑπεροχὴν παριστῶσα. *Vetus Hebræorum religio propriis notis ineffabile Dei nomen exarabat, ut ex eo illius, qua excellit omnibus præſtantiam oſtenderet.*

XXVI. Eccleſiæ Grecæ Patres nomen יהוי vocarunt ἄλεκτον, ἄφθεγκτον, ἀπόῤῥητον, καὶ ῥηθῆναι μὴ δυνάμενον, ἄῤῥητον, ἄφραστον, ἀνεκφώνητον, nempe *ineffabile*. Euſebius id ipſum evidentiſſime oſtendit (*b*). Πάλιν Ἑβραῖοι τὸ μὲν ἀνώτατο τοῦ Θεοῦ κύριον ὄνομα ἄῤῥητον εἶναι, καὶ ἄφθεγκτον, οὐδὲ φαντασίᾳ διανοίας ληπτόν, *Hebræi ſupremum Dei nomen, ac proprium proferri, ac pronunciari poſſe non putant, neque mentis imaginatione capi.* Fullerus exiſtimavit, Patres crediidiſſe illud nomen tantummodo ineffabile eſſe dicendum, quoniam Græci conſonantibus *ι*, & *υ* carentes propria lingua illud exprimere non poterant. Inſuper poſt Euſebium (*c*) Græcom refert epigramma, ex quo infertur, Dei nomen conſtare ex ſeptem vocalibus, idque interpretatur ἰεουα deferens *η*, & *ω*, quæ literæ unum, eumdemque ſonitum habent ac *ε*, & *ο*, atque tantum quantitate differunt. Illud tamen inveriſimile omnino videtur, hujuſmodi nomen ineffabile nuncupandum propterea quod quatuor conſonantibus conſtat, neque ullas habet vocales, ſine quibus conſonantes literas pronunciare non poſſumus. Ac revera Deus il-

(*a*) *Lib. I. Selector. tit. 7.*
[*b*] *Præp. Evang. lib. XI. cap. 6.*
[*c*] *Præp. Evang. lib. II. cap. 6.*

illud protulit (*a*), cum Moyſi revelavit, Moſes vero pronunciavit coram Iſraelitis, & Pharaone, ipſumque nomen a Moſe prolatum Pharao ſæpius repetiit. Illud nomen ineffabile vocant, quia in obſervantiam ubicunque reperiatur pro illo אדני legitur, vel quia incerta eſt illius pronunciatio. Judæi nomen illud ſacratiſſimum, maximaque veneratione dignum eſſe autumabant eo quod eſſet primum Dei nomen, proprium, atque præcipuum, fundamentum, atque origo, unde reliqua Dei nomina proficiſcantur, vel etiam quod ipſam infinitam Dei eſſentiam [ XIV. ], ejuſque majeſtatem, quæ percipi nequit, denotaret. Hinc Plato (*b*) recte ait, Dei nomen eſſe *ineffabile*. Deus enim eſt, ut ille inquit, ἀσώματος, καὶ ἄῤῥητος, καὶ ἀνωνόμαστος, nempe *incorporeus*, *ineffabilis*, *& qui effari non poteſt*. Hoc autem loco animadvertendum eſſe arbitror varias, diverſaſque fuiſſe circa Deum opiniones, erroreſque Philoſophorum (*c*). Præterea Joannes Pierius [*d*] affirmat, ciconiam eſſe Dei ænigma, quandoquidem illa lingua carens denotat, Deum omnia tacite peragere, neque nobis illius ſermonem eſſe inſtituendum, cum nullum humanum ingenium ſatis demirari poſſit. Divini cultus promovendi ſtudio flagrantes Judæi magnum nomen יהוה reticebant, ne contemptim deprimeretur, tantaque fuit eorumdem ſuperſtitio in celando nomine quatuor literarum, ut ſacrum hunc Exodi textum [*e*] invertere

H non

[*a*] *Exod. VI. 3.*
[*b*] *Teste Euſeb. lib. XI. de Præpar. Evang. cap. 8.*
[*c*] *Plutarch. de Placit. Philoſ. lib. I. cap. 7.*
[*d*] *De hieroglyph. hierogl. XVII.*
[*e*] *III. 15.*

non erubuerint. ויאמר עוד אלהים אל משה בה תאמר אל בני ישראל יהוה אלהי אבתיכם אלהי אברהם אלהי יצחק ואלהי יעקב שלחני אליכם זה שמי לעלם וזה זכרי לדר דר. *Dixitque iterum Deus ad Moyſen: Hæc dices filiis Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Hebræi vero ſcribunt, ac legunt (a) לעלם *ad aſcondendum.* Hebræus namque Salomo ait: *Hoc eſt nomen meum in ſeculum* לעלם *deficit vau, quo innuitur, nomen illud celandum, & occultandum eſſe, ne legatur ſecundum ſcripturam ſuam. Et hoc memoriale meum: docet quomodo legendum ſit. Sic David ait, Domine, nomen tuum in ſeculum, memoriale tuum in ætatem, & ætatem.* Ab Hiſcuno per *memoriale* non intelligitur *Adonai,* ſed *Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham.* Sic enim certe ſcribit: *Hoc eſt nomen meum, videlicet Eheie de quo dictum eſt v. 1. eſt nomen meum in ſeculum, ſic enim nos ſcribimus nomen proprium* יהוה*: Deus autem ſe vocat* אהיה*. Vau autem in* יהוה *ponitur loco jod.* Repente vero ſubdit: *Et hoc memoriale meum in ætatem, & ætatem, videlicet Deus patrum veſtrorum, quod ponitur v. 2. Solent autem hoc modo nominare reges, non proprio nomine.*

XXVII. Nondum liquere arbitror qua de cauſa Judæi prohiberentur, ne venerabile nomen adhiberent, ac duntaxat illud proferre liceret Sacerdoti dum populo benedictionem impertiebatur; Etenim do-

(a) *Lib.* קרושין *cap.* עשרה יוחסין

doctiſſimi quidam homines inter ſe plurimum, ac mirifice diſſidere videntur, utrum reipſa Judæi illud pronunciare prohiberentur, vel ad removendum abuſum, vel ad illius ſervandam majeſtatem, vel illud in magicis artibus non adhiberent, vel demum quia noſtris hiſce temporibus illius genuina pronunciatio non innoteſcit. Ad recte dignoſcendam veram pronunciationem nominis יהוה plurimum juvant doctiſſimæ lucubrationes editæ a clariſſimis viris Joanne Druſio, Sixtino Amama, Joanne Buxtorfio, Jacobo Altingio, Nicolao Fullero, & Joanne Lauſdenio, aliiſque (*a*). Conſuli quoque poſſunt Joannes Deutſelman [*b*], Paulus de Sancta Maria Burgenſis Epiſcopus (*c*), Thomas Gatakerus (*d*), Ludovicus Capellus [*e*], aliique quam plurimi celeberrimi Scriptores, qui Critices diſciplinæ bono nati ad illuſtrandum Dei nomen יהוה diu multumque maximo reipublicæ literariæ emolumento inſudarunt.

## C A P U T VI.

*Veriſimilior opinio de vera Nominis Dei pronunciatione oſtenditur.*

XXVIII. Obſcurum eſt quomodo Divinum nomen antiquitus enunciaretur,

H 2 ideo-

(*a*) Vid. *Hadrian. Reland. in duderade exercitat. philologic. de ver. pronunciat. voc.* יהוה.
(*b*) *Harmon. Harmoniar. in Jehovah Elohim.*
(*c*) *De Nom. Divin. quaeſt. duod.* Vid. *Collect. critic. Diſſert. edit. Pariſiis apud Wite A.* 1715.
[*d*] *Diſſert. de Nom. tetragramm. tom. II. Oper.*
(*e*) Ejus *Diſſert. in magn. Dei Nom.* legitur in calce ejus *Critic. Sacr.* pag. 666. & illius *Apolog. in Gataker.* ibid. pag. 113.

ideoque illi, qui primum puncta vocalia invenerunt cum hujus vocabuli ſonum proprium ignorarent, puncta ei aliena, videlicet nominis אדני, ſubjecerunt, atque ob eam præſertim cauſam cum nomen יהוה ſcriptum reperitur, legendum erit יהוה Hebraicæ Linguæ periti circa veram hujuſce vocis pronunciationem acerrime inter ſe digladiantur. Quapropter validiſſimis rationum momentis אדני eſſe pronunciandum oſtendunt Arias Montanus, Mercerus, Cevalerius, Schindlerus, Amama, Scaliger, Druſius, Buxtorfius, aliique quamplurimi. Hiſce omnibus obluctantur Thomas Fullerus, Franciſcus Gomarus, aliique, qui demonſtrari poſſe contendunt יהוה non jam אדני eſſe pronunciandum. Illos plane qui יהוה perlegerunt *Jehoviſtas*, qui vero eis repugnabant *Adoniſtas* vocavit Druſius. Verum in hac diſceptatione, quæ tanta diligentia, tamque acri ſtudio diſcuſſa, ac ventilata fuit, quæque peritorum torſit animos, plurimi facienda videntur illorum argumenta, qui pro יהוה אדני vel אלהים legendum eſſe autumarunt. Quo vero nitide clariſſimeque allatæ propoſitionis veritas elucefcat, illorum argumenta referenda eſſe duxi, qui pronunciationem יהוה ſervant, poſtea vero ut optimæ, ſanioriſque ſententiæ dignitas illuſtrius, atque nitidius appareat, juverit aliqua complecti, quibus veluti certa oſtendatur illorum opinio, cui libenter ſubſcribo, qui אדני pro יהוה legendum eſſe crediderunt.

XXIX. Dicunt itaque, quod quidam propter Judaicam ſuperſtitionem proferre non audent illud verbum, quod in Sacris Bibliis reperitur, atque hoc pacto Scriptura divinitus inſpirata vitiatur. Hoc au-

tem

tem certum exploratumque eſt, quoniam Deus expreſſe Moyſi ait (*a*): אני יהוה וארא אל אברהם אל יצחק ואל יעקב באל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai* ושמי יהוה *non indicavi eis* [XIII.]. Quæ nam æqua ratio adduci poterit cur ibi pronunciandum non ſit nomen illud, quo Deus agnoſci ſe velle declarat? Si vero hoc loci illud proferre decet, cur non etiam alibi non erit enunciandum? Quo ad hoc argumentum Capellus opinatur, nomen, quod Deus in Exodo [*b*] ſibi tribuit, ibidem proferendum juxta proprias conſonantes, adjectis tamen quibuſdam vocalibus, quarum quæ veræ ſint adhuc non conſtat.

XXX. Ante quam ſuperſtitio longe lateque protenderetur nomen יהוה vulgo cognitum, adhibitumque fuit. Quocirca illud exſtat in nominibus locorum, atque in juramentis, quod quidem oſtendit, nonnullos crebro illo uſos fuiſſe. Idolorum quoque cultores, atque advenæ illud agnoverant, quandoquidem Laban, Bathuel, Pharao, & Rabſaces illud protulerunt. Si ergo quiſpiam eſt, qui id enunciare non audeat, Judæorum ſuperſtitionem penitus imitatur. Ut allatam difficultatem facilius evertere poſſet Amama, veram hujuſce nominis pronunciationem omnes Judæos præter Sacerdotes ignoraſſe defendit. Inſuper adducit Rabbinorum teſtimonia, Philonis (*c*), Joſephi [*d*], Euſebii [*e*], Theodoreti

(*a*) *Exod. VI.* 3.
(*b*) *VI.* 3.
(*c*) *De vit. Moſ.*
(*d*) *Antiq. lib. II. cap.* 5.
(*e*) *Præp. Evang. lib. XI. cap.* 6.

ti (*a*), & Plinii (*b*) qui aſſerit, Judæos Dei nomen ſtudioſe occultaſſe. Omnes illi, qui huic eidem ſententiæ adhærent hoc pacto reſpondent. Nihilo tamen minus Capellus alibi fatetur, pronunciationem, de qua agimus, ab Judæis ad Phœnices, Syroſque, ab his vero ad Græcos dimanaſſe. Deprehendi nequit qui ſibimetipſi conveniat, aut quomodo Phœnices, atque Græci agnoverint vocabulum Hebraicum, quod Judæi ignorabant, vel quod ceu arcanum intuebantur.

XXXI. Nominis יהוה vera pronunciatio deprehendi facile poterit in nominibus quibuſdam propriis virorum, qui boni, ut videtur, ominis cauſa ex Divino hoc nomine propria componere nomina conſueverant, unde *Jehonathan*, *Jehoram*, *Jehoſaphat*, *Jehoſedek*, *Jehoſeph*, aliaque ſimilia, quæ adhibita contractione proferimus *Jonathan*, *Joram*, *Joſaphat*, *Joſedek*, *Joſeph*. Quocirca legendum erit, atque Judæi quoque legent, *Adonathan*, *Adoriam*, *Adoſaphat*. Compertum itaque eſt, illos in compoſitione retinuiſſe pronunciationem cujuſdam vocis, quam ſolam proferre renuerant. Capellus inficiatur, nomina *Jonathan*, *Joſaphat*, aliaque id genus conſtare ex *Jehovah*, ſed exiſtimat habere duntaxat nomen *Ja*. Ejuſmodi compoſitionem negaſſe videtur R. Abraham Aben-Eſra, qui ad vocem יהושפט [*c*] hæc ait: והמפרש יהושפט כי השם ישפטם זה דרך דרש הוא כי על דרך הפשט נכון הוא שיקרא שם אדם בשם עשתו כמו צורי שדי רק השם הנכבד לא יקרא כשם אדם

Et

[*a*] *Quaſt. XIII. in Exod.*
(*b*) *Hiſtor. Nat. lib. XXVIII. cap.* 2.
(*c*) *Joel. III.* 13.

*Et qui exponit vocem* Jehoſchaphat *per* Deus judicabit eos, *id facit allegorice: Nam juxta viam ſimplicem, & literalem conveniens quidem eſt, ut nomen hominis componatur cum nomine factoris ejus aliquo ut* צורי שדי *, ſed nomen illud glorioſum non componitur cum nomine humano.* Arbitratur itaque haſce interpretationes eſſe allegoricas, eo quod hujus nominis majeſtati, quod Dei proprium eſt, indecorum eſſe videatur, ut illud cum homine aliquo communicetur. Litera vero ה quibuſdam nominibus inſerta videtur vel *euphoniæ* gratia, quia vetuſtiſſima Hebræorum lingua crebris aſpirationibus uſa eſt, vel pietatis, ac devotionis cauſa ex nomine tetragrammato eam fortaſſe Judæi deſumpſerunt. Ita nomini *Joſephi*, quod יוסף fere ſemper ſcribitur, litera ה, non ut ſolet, inſeritur (*a*): עדות ביהוסף שמו *Teſtimonium in* Jehoſeph *poſuit illud* [*b*]. Cum ergo nonnulli exiſtiment illa nomina propria conſtare ex *Jehovah*, illud quidem cognitum quoque hinc probare videntur.

XXXII. Deluſos quondam variis erroribus Ethnicos, & ab Hebraica veritate progredientibus inde temporibus diu multumque degeneres a nomine יהוה Jovis nomen, quod multis poſtea facinoribus, figmentiſque polluerunt, elicuiſſe aliqui autumarunt: יהוה enim vox Jovi ſimilis eſt, & a Græcis Jupiter appellatur Ζεὺς a vita, ſicut Hebræis Deus ab eſſentia vocatur יהוה. Quare S. Auguſtinus narrat

(*a*) *Pſalm. LXXXI. 6.*

[*b*] Vid. *R. D. Kimchi* ad hunc loc. *Talmud* סוטה *cap. VII. fol. 36. col. 2. Vajikra rabba ſect. XXIII. fol. 196. col. 1. Midraſch R. Aharon Chajim Feſſan. Arab.* in לב אהרן *ad Jud. IV. fol. 24. & Zohar in Levit, col. 25.*

rat [*a*], Judæos juxta ſententiam Varronis Jovem coluiſſe: *Varro Deum Judæorum Jovem putavit.* Certiſſimum ergo perſpectumque eſt, quod tunc temporis nomen יהוה agnoſcebatur. Capellus eamdem tradens Varronis etymologiam, a quo dicitur *Jupiter* quaſi *juvans pater*, id nominis a יהוה fuiſſe profectum inficiatur. Plurimum vero a veritate aberrant illi, qui arbitrantur, nomen Jovis ſupremi Ethnicorum numinis exoriri ex *Jehovah*, ſeu ex *Jova* per craſin; etenim Jupiter, qui a *juvando* ita nuncupatur, Latinum, non jam Hebraicum nomen habet. Hallucinatus eſt quoque Varro exiſtimans juxta S. Auguſtinum (*b*), Judæos Romanorum numini Jovi venerationem impendiſſe, quod credidit Varro non jam quod audiviſſet ab Hebræis, Deum vocari *Jehovah*, vel *Jeve*, ſed quoniam exiſtimavit, Judæos coluiſſe ſummum Deum, quem ille alium non eſſe, quam Jovem autumabat. Maſius (*c*), ac Marianus Victorius [*d*] arbitrantur, ex nomine יהוה nomen Jovis eſſe deſumptum, quam quidem conjecturam S. Auguſtinus [*e*], & Petrus Galatinus (*f*) rejecerunt, eamque falſam, & abſurdam eſſe clariſſime demonſtrarunt.

XXXIII. Si tamen res accuratius expendatur clarius, longeque veriſimilius ut opinor loquuntur illi, qui pro יהוה vel אדני, vel אלהים legendum putant

(*a*) *Lib. I. de Conſenſu Evangeliſt. cap. XXII.*
(*b*) *Loc. cit.*
[*c*] *In epiſt. ad Ariam Mont. ipſ. Ariæ pſalm. præf.*
[*d*] *In Schol. ad S. Hieron. ep. 136.*
(*e*) *De Civit. Dei lib. VI. cap. 6. & lib. VII. cap. 5.*
[*f*] *De Arcan. Cath. Relig. lib. II. cap. 10.*

tant. Hujuſmodi legendi ratio ab Judæis dicitur הלכה למשה מסיני *Traditio Moſis de Monte Sinai.* Quocirca eam ipſam jugiter ſervavit Moyſes una cum illis, quos Deus afflaverat, ſubinde vero excepit magna Synagoga, ac demum illi, qui poſterioribus temporibus floruerunt. Hebræi itidem eadem ipſa legendi ratione ſuis in conventibus Patriarchas uſos eſſe affirmarunt, non jam ut ſuperſtitionem, ſed quandam pietatis, religioniſque ſpeciem exhiberent, quam Moyſes, aliique ſacri Scriptores [a] comprobarunt. Qui ergo Hebraicam linguam apprime callent contra Lauſdenium, atque Galatinum aſſerunt ארני pro יהוה eſſe legendum. Et re quidem vera cum duplex habeatur Divini nominis pronunciatio, illa retinenda, quæ plane antiquior eſt, eaque ipſa, quam Hebræi adhibuerunt. Verum illi antiquitus ארני pro יהוה legebant, ideoque longe aberraſſe patet Galatinum, dum contrariam opinionem tuetur: R. enim Abina inquit: *Scriptum eſt, hoc eſt nomen meum. Et iterum ſcriptum eſt ibidem, hoc eſt memoriale meum, dixit Deus ſanctus, & benedictus. Non legor, ſicut ſcribor. Scribor enim cum* י, ה, ו, ה, *videlicet* יהוה *quod eſt nomen tetragrammaton. Et legor cum* א, ר, נ, י, *Quæ literæ* ארני *efficiunt, quod idem eſt quod Dominus. Quare præceperunt Magiſtri, loco ejus Adonai debere legi.* Neque ſolum Judæorum Rabbini, qui Maſorethæ vocantur, ac illi ipſi, qui

I quo-

[a] Vid. *Jo. Bened. Carpzov. fil. Diſſ. Acad. VIII. pag. 287. ſeqq. pag. 301. ſeqq.*

quorundam ſententia [a] Anno a nativitate Domini 500. repererunt puncta vocalia Bibliis appoſita apud Tiberiadem Paleſtinæ, primi ארני pro יהוה protulerunt, verum etiam S. Hieronymus Hebraicæ linguæ peritiſſimus, quique Rabbinos illos ætate præceſſit eiſdem aſſentitur dum interpretatur hæc verba (b) ושמי יהוה. Cum autem illi Rabbini hujus vocabuli ſonum proprium ignorarent, puncta ei aliena, ideſt nominis ארני ſubjecerunt. Neque Hebræorum magiſtri, & doctores, qui puncta invenerunt primi fuerunt, qui nomen Dei יהוה per nomen ארני, ideſt *Dominus* efferre cœperunt, ſiquidem ipſi etiam LXX. vetuſtiſſimi Græci Interpretes, qui 300. circiter annis ante Chriſtum floruerunt, ſemper nomen יהוה per κύριος ideſt *Dominus* reddiderunt. Hanc enim ſententiam [c] ושמי יהוה לא נודעתי להם ita interpretati ſunt καὶ τὸ ὄνομά μου κύριος οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς. S. Hieronymos autem ait: *Et nomen meum Adonai non indicavi eis.* Hiſce conſonant Aquila, Symmachus, & Theodotion. Origenes etiam in Tetraplis, & Hexaplis ſuis, in ea columna, in qua voces Hebraicas Græcis literis ſcripſerat, nomen tetragrammaton per Ἀδωναὶ ſemper expreſſit, veluti Epiphanius, Chryſoſtomus, aliique oſtendunt. Nunquam tamen nomen τετραγράμ-

(a) *Elias Levit. Kimchi. Aben-Ezra. Vid. Morin. Exercit. Bibl. exerc. XVIII. lib. 2. cap. 1. Walt. Proleg. Bibl. proleg. III. art. 38. Du-Pin. Thomaſſin in Method. Stud. Petitdidier Diſſert. hiſt. critic. chronol. in Sac. Script. Vet. Teſt. diſſert. II. Sect. 2. Ricard. Simon. Hiſt. Crit. du Vieux Teſt. liv. I. chap. 27.*

(b) *Exod. VI. 3.*

[c] *Cit. loc.*

γράμματον, neque διγράμματον LXX. propriis literis expreſſerunt, ac tantum nomen *Jah* in voce ἀλληλούϊα reliquerunt, eo quod in compoſitione hujuſmodi nominis deliteſcat. Inſuper Paraphraſtæ Chaldæi, nempe Onkelos, & Ionathan, qui paulo ante tempora Chriſti floruerunt, ac reliqui Interpretes Arabes, Syri, Perſæ, Ethiopes loco tetragrammati *Adonai* uſurpant. Ipſe Chriſtus Dominus pariterque Evangeliſtæ, & Apoſtoli hac in re a LXX. virorum verſione non receſſerunt. Cum itaque illi ex Veteri Teſtamento ſuis in ſcriptis, in quibus dialecto Syro-Chaldaica utebantur, illa proferrent teſtimonia, in quibus hoc nomen continetur, nunquam tamen יהוה dixerunt, ſed ſemper pro eo *Dominus*, ſive κύριος, cum tamen alia nomina propria ſuis vocibus expreſſerint, ut *Adam*, *Moſ*, *Eva*, *Sara*, *Maria*. Hoc ipſum aliquibus Veteris Teſtamenti allatis teſtimoniis, evidentiſſime demonſtrari poteſt. In illo [*a*] enim legimus: לא תנסה את יהוה Chriſtus vero hunc locum allegans [*b*] ait: οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου. Pariter quod dixerat David (*c*): נאם יהוה לאדני ita reddidit Matthæus (*d*) εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου. Cur ergo utrumque Chriſtus expreſſit per nomen domini? Ignoravit ne in Hebræo, primum eſſentiæ nomen eſſe? Vel potius veram illius pronunciationem neſcivit? Minime: ſed quia ita vulgo proferri conſueverat. Huc reſpexiſſe videtur Joannes (*e*) dum inquit



(*a*) *Deut. VI. 16.*
(*b*) *Matth. IV. 7.*
(*c*) *Pſalm. CX.*
(*d*) *XXII. 44.*
(*e*) *Apocal. XIX. 12.*

quit ἔχων ὄνομα γεγραμμένον ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτὸς *habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi ipſe.* Vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres (*a*) *Jehovah* nunquam pronunciarunt, illique epitheta quædam (XXVI.) ſubjecerunt, quibus oſtendebant hujuſmodi nomen propriis literis nequaquam eſſe legendum (*b*). Itaque ex iis, quæ uſque adhuc diximus, inferri, deducique facile poterit, quod dum in Hebraico textu reperitur Dei nomen יהוה ſpectandum eſt ceu illa nomina כתובים ולא קרוים, videlicet *quæ ſcribuntur, ſed non leguntur*, atque אדני eſt pronunciandum. Judæi Divinum nomen nunquam proferre licuiſſe crediderunt, atque ut Clericus [*c*] opinatur, Hebræi imperantibus Ptolemæis exiſtimabant in familiari ſermone nullatenus efferendum, vel in libris ſcribendum, ideoque nunquam reperitur illud nomen ita expreſſum ΙΑΤΩ, ΙΑΤΕ, ΙΑΤΗ, vel ΙΕΩΤΑ in libris Eſdræ, Tobiæ, Judith, Machabæorum, aliiſque Sacræ Scripturæ, qui Græce exarati fuerunt; in illis enim cum nomen יהוה efferre auſi non fuerint, Deum vocarunt θεὸν, ὕψιστον, κύριον. Neque in Alcorano, libro nimirum, quo Turcicæ religionis præcepta continentur, expreſſum habetur nomen Dei proprium, in cujus loco apparet nomen, quod idem eſt ac אדני. Ubicunque ſimul occurrunt hæc duo nomina יהוה, & אדני ne co-

(*a*) *Orig. hom. XIV. in lib. Numer. Euſeb. lib. XI. de Præp. Evang. cap. 8. Greg. Nazianz. Orat. IV. de Theol. Hier. epiſt. 136. ad Marc. & in cap. 15 Ezech.*

[*b*] *Vid. Jo. Gottl. Carpz. in adnot. in Thom. Goodw. Moſ. & Aar. pag. 478. Sixt. ab Amama diſſert. de Nom. Tetragramm. in ejus Anti-Barbaro Bibl. pag.* 297. ſeqq.

(*c*) *Comm. in Pent.*

cogamur bis dicere אדני, tunc nomini יהוה ſubiiciuntur puncta nominis אלהים, ut videtur initio Abdiæ Prophetæ: כה אמר אדני יהוה & in fine Habacuc: יהוה אדני חילי. Rectius ergo eſt nomen יהוה efferri per *Adonai*, vel jungi cum voce ipſa *Adonai*, quod interdum fit per *Elohim*, quam in Eccleſia Dei ſonum tot ſeculis adeo inuſitatum ſupponere. Compertum itaque eſt אדני potiuſquam יהוה eſſe legendum. Veruntamen conducibilius Hebræis eſſe videbatur, ſi tamen τετραγράμματον nomen pronunciantes Idolorum cultum declinaſſent, neque permulta ſceleta admiſiſſent, quæ illis Prophetæ exprobraverunt, quæque in cauſa fuerunt cur eos ſervitute oppreſſos tenerent Ethnici, qui illos prorſus perdiderunt. Hujuſmodi nomen aliter legebatur, quam ſcriberetur, ne aſſidua illius pronunciatione forte evileſceret, ac nimis leviter, & profane uſurparetur, adeoque conſtat lege quadam illius prolationem extra ſacrum uſum, & neceſſarium fuiſſe prohibitam, & ſacris perſonis tantum conceſſam, & reſervatam, & ob eam maxime cauſam ejus notitiam in vulgo progreſſu temporis deſiiſſe, & inter paucos remanſiſſe quidam autumarunt. Subinde vero urbe, & templo ſolo æquatis, everſoque Moſaico cultu, etiam hujus nominis pronunciationem plane, & ex ſingulari Dei judicio inter Judæos periiſſe certum, perſpectumque haberi debet.

CA-

## CAPVT VII.

*De quibuſdam aliis gentibus, quæ Divinum nomen nequaquam protulerunt.*

XXXIV. Celeberrimas inter gentes, quæ Divinum nomen quam maxime coluerunt, in primis Græca natio enitescit, quæ dum juramentum præſtabat proprii Numinis nomen reticebat, atque ut referunt Scriptores μὰ τὸν οὐ μὰ τὸν dicere conſueverat. Strabo (a) demonſtrat, Celtiberos honorem ſummum Deo perſolviſſe, qui nominis expers erat. Cum autem Herodotus (b) ageret de Pelaſgis vetuſtioribus Græciæ incolis affirmat, Diis cultum tribuiſſe, quorum nomina ignorabant. Idem Herodotus (c) teſtatur, Ægyptios Hebræorum exemplo quorundam Deorum nomina nequaquam protuliſſe; cum enim ille loqueretur de ratione, qua illi mortuos tumulo mandarunt, inficiatur proprio nomine vocari poſſe ligneum quoddam ſimulacrum, quod mortuorum propinquis oſtendebatur: οὐχ ὅσιον ποιεῦμαι τὸ οὔνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ὀνομάζειν *Non ſancte agam ſi proferam nomen in hujuſmodi re.* Cum varios, diverſoſque Bacchos Tullius [d] recenſeret ait: *Quartus Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare.* Ethnicorum quoque religio illorum Numinibus propria quædam nomina tri-

(a) *Lib. III. Geograph.*
(b) Apud *Gyrald. Syntagm. I.*
(c) *Lib. III.*
(d) *Lib. III. de Nat. Deor.*

tribuit, quæ pronunciare nunquam auſi ſunt. Item Tullius (*a*) cum Ethnicorum Deos enumeraret ita loquitur: *Si quis e nominibus illis quoddam pronunciare auſus fuiſſet, contremuiſſet ingenti horrore terra;* vel ut ait Lucanus (*b*) .......... ............................................ *an ille Compellandus erit, quo nunquam terra vocato Non concuſſa tremit?*

XXXV. Arabes ſuorum numinum, quos agnoſcebant, impotentiam ſpectantes aras Deo ignoto conſecrarunt (*c*). Penes Ethnicos quoque Deorum ignotorum cultum viguiſse conſtat, atque illius originem profectam eſse arbitror ex eo quod, cum inſipienter metuerent peſtilentias, ceteraque infortunia dimanare poſse ex ira alicujus Numinis, quod ipſi non coluerant, eis conducibile viſum ſit illud ſacrificiis placare; cujus quidem rei Diogenes Laertius (*d*) auctorem eſse perhibet Epimenidem, qui illis Diis immolari voluit, qui omnes latebat utrum eſsent, ubi, aut quomodo venerari expeterent. Tunc Athenis, aliiſque finitimis locis aras extrui inceptum eſt abſque nomine, propriove titulo, veluti oſtendit Diogenes Laertius [*e*]: ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἔστιν εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους. *Ex eo jam hodieque per Athenienſium pagos aras ſine nomine inveniri certum eſt.* Quocirca Pauſanias (*f*) ad eas ſignificandas utitur titulo Θεῶν ἀγνώστων *Deo-*

(*a*) *Cit. loc.*
(*b*) *Pharſal. lib. VI.*
(*c*) *Gyrald. Syntagm. XVII.*
(*d*) *In Epim.*
(*e*) *Cit. loc.*
[*f*] *Attic. lib. I.*

*Deorum ignotorum*, atque celeberrimus Hugo Grotius (*a*) diverſas hujuſmodi extitiſse aras in Athenienſium delubris opinatus eſt. De aris, quæ Diis ignotis fuerunt dicatæ mentionem iniecere Philoſtratus (*b*), & S. Hieronymus [*c*]. Veteres Romani Græcis aſsentientes cum ignorarent cui Numini illis eſset immolandum tum cum terra concutiebatur (*d*), nomen ſilebant, dum de more res ſacras explebant, ac ne de Diis quidem Tutelaribus loquebantur (*e*). Mirum profecto videri non deberet ſi Romani illam legem ſervantes, quæ non ſinebat Divinum nomen proferri, mortis pœna mulctaverint quemdam Tribunum Valerium Seranum, qui eam violare auſus fuerat [*f*]. Hoc autem pacto ſuas preces fundebant Pontifices (*g*). *Jupiter optime maxime, ſive quo alio nomine te appellari volueris.* Si vero illis aliquod dubium obreperet dicebant *quiſquis* (*h*):

*Sic ubi diſpoſitam quiſquis fuit ille deorum.*
*. . . . . . . ſequimur te ſancte deorum,*
*Quiſquis es* (*i*).

Illud equidem in confeſso eſt apud omnes, Deos quondam alios certos, incertos alios extitiſse, veluti conſtat ex vetuſtiſſimo Scriptore Varrone (*k*).

Ac

(*a*) *In Act. Apoſt. cap. XVII.*
[*b*] *Lib. VI.*
[*c*] *In epiſt. ad Tit. cap. I.*
[*d*] *Aul. Gell. Noct. Attic. lib. II. cap. 28.*
(*e*) *Plin. lib. XXVIII. Hiſt. Nat. cap. 2.*
(*f*) *Serv. Æneid. I. 280.*
(*g*) *Serv. Æneid. IV. 577.*
(*h*) *Ovid. Met. I. 32.*
(*i*) *Virg. Æneid. IV. 576.*
(*k*) Vid. *Lib. de reb. Divin. & Hum.*

Ac eos quidem certos appellat, de quibus dubitari nullo modo poteſt, cujuſmodi ſunt, ut ille ait, Luna, Cælum, & Terra. Incerti vero nuncupabantur illi, quorum, ſicut aſſerit Varro, certa ratio reddi nequit, vel quorum ſacra, & templa Romani nondum admiſerant, vel quorum nomina, quia videlicet ea patefacere nefas erat, non audiverant, vel tandem quia de eorum divinitate non ſatis conſtabat, ut legitur apud S. Auguſtinum [a], qui hos retulit verſus:

*Quos quoniam cæli nondum dignamur honore;*
*Quas dedimus, certe terras habitare ſinamus.*

Ignoti Dii iidem non erant, ac incerti, de quorum plane divinitate quamvis ambigeretur, illorum tamen nomina agnoſcebantur. Tametſi uſque adhuc demonſtraverim, quaſdam fuiſſe aras ignotis Diis conſecratas, ex hoc tamen inferri deducique minime poterit, nullam extitiſſe aram titulo *Dei ignoti* decoratam; Lucianus namque, vel quilibet alius (b) affirmat, quoſdam Populos hoc juramentum præſtitiſſe: Νὴ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις *Non per ignotum Athenis*, exinde vero in fine dialogi hæc habentur: Ἡμεῖς γὰρ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν. *Nos autem Athenis Deum ignotum invenientes, & adorantes manibus in cælum expanſis, huic gratias agemus.* Magnus Gentium Doctor S. Paulus cum Athenis contemplaretur ea omnia, quæ ad religionis cultum ſpectare



(a) *De Civit. Dei III.* 12.
(b) *Dialog.* qui *Philopatris* inſcribitur.

poſſe videbantur, quamdam aram conſpexit, in qua hic titulus Α'γνώστῳ θεῷ cælatus erat (*a*). Quidam temere crediderunt, hanc ipſam inſcriptionem in illa ara fuiſſe inſculptam: Θεοῖς Ασίας, καὶ Ευρώπης, καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώστῳ, καὶ ξένῳ. *Diis Aſiæ, & Europæ, & Libiæ, Deo ignoto, & peregrino.* Apud antiquos etiam Scriptores (*b*) multæ ejuscemodi dicendi rationes occurrunt, quibus quaſi obſcurum aliquod Numen indicatur. Alioquin non defuere quidam Populi, qui ſuum Deum venerabantur abſque eo quod nullum nomen proferrent (*c*).

XXXVI. Caſaubonus (*d*) opinatur, Deos ignotos duntaxat intelligi poſſe illos, quos aliæ Gentes præter Græcam coluerunt. Demonſtrandum aggreditur Zornius (*e*), Deum ignotum tantum eſſe tutelare Athenarum Numen, quoniam Tutelarium Deorum nomina minime retegebantur ne proferri poſſent. Itidem Simeon Cabaſilas (*f*) affirmat, Chriſtifideles quoque *Deo ignoto* templum ædificandum curaſſe. Veruntamen veriſimilis admodum eſſe mihi videtur opinio Stephani Clotzii (*g*), Cardinalis Baronii (*h*), illorumque, qui aſſerunt, quod cum Athenienſes a Sibyllis, vel a Philoſophis, aut ab Judæis audiverint verum Deum eſſe ſublimem, inviſibilem, ineffabilem, incom-

(*a*) *Act. XVII. 23.*
(*b*) *Ovid. lib. I. Metam.*
(*c*) Vid. *Wonna de Ara Dei ignot. cap. III.*
(*d*) Vid. *Wolf. Cur. Critic. ad Act. XVII. 23.*
(*e*) *Bibl. pag. 448.*
(*f*) Vid. *Bibl. Univerſ. Tom. IV. Differtat. fur le Dieu Inconnu des Athen. par M. l' Abbé Anſelm Tom. VI. des Mem. de liter. tir. des Reg. de l' Acad. des Inſcript. & Belles Lettres.*
(*g*) *Præfat. ad Theolog. natur. §. 1. & ſeq.*
(*h*) *Annal. Eccl. Tom. I. A. Chriſti 52.*

comprehenſibilem, lucemque inhabitare inacceſſibilem, ob eam maxime cauſam *Ignoto Deo*, hoc eſt incomprehenſibili, atque ineffabili aram extulerunt. Per ignotum itaque Numen non aliud denotaſſe videntur Athenienſes, quam quod omnium erat princeps, omnibuſque præerat, eo quod ſingula tantum ſingulis adſcriberentur, quorum originem ignorabant, cum illam inſuper reliquorum exploratam haberent, licet nomen ignorarent, cunctaque nominibus propriis diſtinguerent. S. Paulus indicat, ignotum hunc Deum non fuiſſe aliquod falſum Ethnicorum Numen, ſed magnum illum cæli, terræque opificem (*a*): *Οὓ ἐν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Quapropter Clemens Alexandrinus (*b*), & S. Auguſtinus [*c*] docuerunt, Athenienſes ſolum Deum verum coluiſſe, quamvis illum non agnoſcerent.

XXXVII. Atque utinam ſtulta gens mortalium aliquando ſaperet, atque intelligeret illud Divinitatis faſtigium, magnitudine omnino incomprehenſibile, ens æternum, immenſum, & infinitum, quod Deus nuncupatur, unum, & incircumſcriptum eſſe. Quare Apollo, qui præter ceteros Divinus maximeque fatidicus exiſtimatur, Colophone reſpondens, quod Delphis emigraverat, quærenti cuidam, *quis eſſet, aut quid eſſet omnino Deus*, reſpondit, *Ex ſe ortus, non edoctus, ſine matre, inconcuſſus, nomen ne verbo quidem capiendum in igne habitans,*

K 2 *in*

[*a*] *Act. XVII. 23.*
(*b*) *Lib. I. Strom. cap. 9.*
(*c*) *Lib. 3. contra Creſc. cap. 20.*

*hoc Deus eſt.* Eamdem vero tuebatur ſententiam Mercurius Triſmegiſtus, quandoquidem ille exprimere noluit magnum Dei nomen, ac ne quis nomen ejus requireret ἀνώνυμον, ideſt *ſine nomine* eſſe dixit, eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipſam ſcilicet unitatem. Ipſius hæc ſunt verba: ὁ δὲ Θεὸς εἷς ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται, ἔστι γὰρ ἀνώνυμος (*a*). Poſtea vero ita ſententiam ſuam aperit: ὃ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι *cujus nomen non poteſt humano ore effari.* Hæc omnia confirmat S. Cyrillus [*b*] dum ait: *Hermes Triſmegiſtus dicit Deum intelligere quidem difficile, eloqui autem impoſſibile.* Hoc autem nomen neque Cacodæmon ore efferre potuit: Nam Apollo Delphicus roganti cuidam inter cetera reſpondit: ὃ τὸ ὄνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον *cujus nomen nec verbo capiendum.* Deo itaque nomen proprie nullum eſt, ſi illud, quo Deus eſt, & dicitur, conceperimus; unde interroganti quondam Moyſi de nomine Dei, cujus imperio debebat obtemperare, a Deo ipſo reſponſum eſt אהיה אשר אהיה *Ego ſum qui ſum* (*c*). Hinc præclare Minutius Felix in diſputatione cum Octavio ait: *Ne nomen Deo quæras, Deus nomen eſt illi, vocabulis opus eſt cum per ſingulos propriis appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt: Deo qui ſolus eſt, totum vocabulum proprium eſt.* Pari ratione apud Euſebium (*d*) Attalus quidam inſignis martyr a perfidis in-

[*a*] Vid. *Lact. Firm. lib. I. cap. 6.*
[*b*] *Lib. I. contra Julian.* Egregius plane locus de Deo ignoto extat apud *Arnob. lib. I. contra Gentes* ante medium.
(*c*) *Exod. III. 14.*
[*d*] *Lib. V. Hiſt. Eccl. cap. 1.* Vid. *Stringh. Rom. Subter. lib. VI. cap. 50.*

interrogatus carnificibus quod nam eſſet ejus Dei, quem colebat, nomen, *qui plures ſint*, inquit, *nominibus diſcernuntur; at Deus, qui unus eſt, non indiget nomine.* Huc quoque referri facile poſſunt hæc verba Iſaiæ [a] כי ילד ילד לנו בן נתן לנו ותהי המשרה על שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום: *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis.* In admiranda hac de Dei filio prophetia non modo nomen ei פלא tribuitur, quod quidem oritur a radice פלא *occultus fuit*, verum etiam פלאי *admirabile, & occultum.* Hoc autem nomen ſibi (*b*) Angelus tribuit, qui nativitatem nunciat Samſonis, ut diſſimulet quod quærebatur, ipſum nempe nomen. Atque hinc פלוני ille eſt, cujus nomen non exprimitur.

## CAPUT VIII.

*De nominis Divini cognitione apud Ethnicos.*

XXXVIII. Cognitum, perſpectumque fuiſſe Ethnicis nomen יהוה teſtatur Philo [*c*], qui Caligulam hæc verba coram Judæis fundentem inducit: ὑμεῖς, εἶπεν, ἐστὲ οἱ θεομισεῖς, οἱ θεὸν μὴ νομίζοντες εἶναί με τὸν ἤδη παρὰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀνωμολογημένον ἀλλὰ τὸν ἀκατονόμαστον ὑμῖν;

[*a*] *IX. 6.*
[*b*] *Jud. XIII.*
[*c*] *Legat. ad Cajum.*

ὑμῖν; καὶ ἀνατείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπεφήμιζε πρόσρησιν, ἣν οὐδὲ ἀκούειν θεμιτὸν, οὐχ ὅτι διερμηνεύειν αὐτολεξεί. *Vos*, inquit, *eſtis inimici Numinis, qui non credentes Deum eſſe me jam ab omnibus aliis agnitum, ſed illum vobis innominatum? Et ſimul manibus ad cælum protenſis extulit* (Caligula) *adpellationem, quam etiam audire nefas eſt, ne dum ut vocem ipſam præferre liceat.* In vetuſtiſſimo D lphi fano ſculptum erat celebre illud verbum Ει, de cujus ſignificatione quoddam edidit opuſculum Plutarchus (*a*). Hinc arbitratur, hujuſmodi verbum non jam temere fuiſſe inſcriptum illi celeberrimo loco, quem nemo unus ignorabat, atque in primis docti illi homines, quibus inſignis delubri cura incumbebat, cum inſuper magis magiſque illius cultum augere exoptantes in hujuſmodi dictione peculiarem quamdam, admirationeque dignam proprietatem reperint. Proinde inducit aliquos eruditos homines, ac Philoſophos, qui inter ſe colloquentes juxta proprias ingenii vires nullum non lapidem movent, ut verum, ac ſincerum hujus vocis ſenſum adhuc deliteſcentem aſſequantur. Quoniam vero varias, diverſaſque illorum virorum ſententias noluit comprobare, impudenter, audacterque veriſimiliorem ſenſum patefacit. Philoſophus Plutarchus eo tantum fine in Græciam, atque Ægyptum itinera ſuſceperat, quo veterum notiones, rerumque originem percontando exploraret, quandoquidem conſtans fama erat, doctos homines, qui illas regiones incolebant, ceteris nationibus hac in re palmam præri-

(*a*) *De* Ει *inſcr. ſcrib. temp. Delph. comment.*

ripuiſſe. Hinc nemini dubium eſſe poterit, quin agnoverit Libros Moyſis, ex quibus Sapientes illi præcipuas quaſdam cognitiones hauriebant, ac licet in Græcia jam pervulgati eſſent, tamen Ægyptii eos agnoverunt, atque intellexerunt. In his autem illum animadverterat Moyſis locum, in quo Deus nuncupatur nomine אהיה אשר אהיה *Ego ſum qui ſum*, atque hujuſmodi idea tanta illum affecerat admiratione, ut explicationem poſtulaverit; exinde vero genuinum, altiſſimumque ſenſum verbi *Ei* aſſequutus eſt. Inſuper hæc ſyllaba *Ei*, quæ redditur *Tu es*, noſtras extollit cogitationes erga magnitudinem, Deique potentiam, ac unumquemque adducit, ut eum vero, proprioque eſſentiæ nomine veneretur. Porro vera eſſentia a ſe ipſa exiſtit ſimpliciter, abſolute, neceſſario, & abſque qualitate, & partibus; neque dici poteſt eam omnes habere perfectiones, ſed potius illam re ipſa eſſe omnes perfectiones.

XXXIX. Ægyptii quoque in foribus templi hæc verba *Ego ſum* ſculpſerant. Nomen itidem Romuli ſcribebatur in publicis tabulis, ceu nomen יהוה penes Judæos. Exinde vero poſterioribus temporibus quibuſdam in numiſmatibus nomen יהוה inſculptum eſt: Etenim in Cimeliarcho Regio Electoris Brandenburgici obſervavit Laurentius Begerus (*a*) numiſma argenteum Synodum Dordracenſem exhibens. In adverſa illius parte Synodi conſeſſus cernitur, atque in altera templum monti impoſitum, ſupra quod effulget יהוה. Montem vero quatuor ex partibus afflant venti. Synodus inſcribitur ASSERTA

RE-

(*a*) *Num. Proteſt.*

RELIGIONE; Templum autem monti impoſitum ERVNT VT MONS SION. CIↃIↃCXIX. Inſuper aliud, præter cetera, numiſma aureum cuſum eſt Joanni Philippo Archiepiſcopo, & Electori Moguntino, in quo conſpicitur nomen יהוה una cum hiſce verbis FVNDAMENTA EJVS IN MONTIBVS SANCTIS. Græci Scriptores illud nomen ita proferebant, nempe Ιαώ, vel ut dici poſſet *τετραγράμματον*, Ιαοὺ, ſive Ιεουά. Illi Ægyptii, quibus duntaxat Solis templum ſubire licebat, nomen *Jaou* ſcriptum efferebant (*a*). Cum ex oraculo Apollinis Delphici, quem omnes gentes ex omnibus mundi partibus conſulebant, quidam ſciſcitarentur, quod nam eſſet Numen, quod *Ιαώ* appellatur, inter alia hæc reſpondit (*b*):

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν Ιαώ.

*Maximus ille Deum ſibi ſit, cui nomen Jao.* Quibus verbis latens Dæmon de Ιαώ ſummo Deo agens quodammodo verum exiſtere confeſſus eſt, adeo ut Polytheiſmum confirmaverit dum inquit Jao hieme eſſe Plutonem, ineunte vere Jovem, æſtate Solem, atque autumno ſeipſum, vel Bacchum, & hoc pacto eos decipiebat, qui illum conſulebant. Aliud exemplum erui poteſt ex Diodoro Siculo (*c*), qui de antiquis differens Legumlatoribus, qui Deorum dono ſuas excepiſſe leges comminiſcebantur, hæc literarum monumentis commendavit: *παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον Θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι. Apud Judæos Moſen*

(*a*) *Clem. Alex. lib. V. Strom.*
(*b*) *Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 18.*
(*c*) *Lib. 1. part. 2. cap. 59.*

*ſen finxiſſe Deum illum, qui Jao cognominatur, leges ipſi tradidiſſe.* Illud item liquet, Valentinianos nomen Ιαὼ ſummo Deo tribuiſſe, quoniam illorum præceptores Gnoſtici [*a*] ſummum Principem cæli Ιαὼ nuncuparunt. Quæ quidem omnia facile demonſtrare poſſunt teſtimonio Sanchoniatonis, cujus ſcripta genuina ne ſint, an ſpuria hic non quærimus, de quo pariter tertio nominis Chriſtiani ſæculo loquitur Porphyrius in opere ſcripto adverſus Chriſti cultores, eo quod ſuam hiſtoriam Adelbaldo Regi Berytenſi inſcripſerit, quam ille, aliique jam comprobaverant. Porphyrius itaque narrar, Sanchoniatonem vocare Jerombalum Sacerdotem Dei Jao: *Σαγχωνιάθων ὁ Βηρύτιος εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλῳ τῦ ἱερέως τῦ θεῦ Ιαώ* (*b*): *Sanchoniaton Berytenſis cum accepiſſet monumenta ab Jerombalo Sacerdote Dei Jao*, vel ut alii vertunt *Jevo*, perinde ac ſi diceret יהוה, vel ut interpretantur Origenes, ac S. Hieronymus *Jao*. Le Moyne [*c*] cujuſdam memoriæ monumentum, quod hanc præfert inſcriptionem: ΑΒΡΑCΑΜ ΙΑΩ *Abraſam Jao*; quæ verba ita explicat Scaliger יהוה הברושם. verum Le Moyne oſtendit, hanc inſcriptionem nil aliud exprimere, quam Deum Baſilidis, quem nonnulli ceu *Mithram*, aut *Solem* coluerunt. Nemo ignorat ſecus legi apud Euſebium (*d*) quoniam occurrit Ιευὼ pro Ιαὼ, atque hunc errorem ex amanuenſium incuria, vel imperitia repetendum eſſe

L do-

(*a*) *Epiph. hær. XXVI.* §. 10.
(*b*) Vid. *Theodoret. de curand. Græc. affect. ſerm. II. de princ.*
(*c*) *Var. Sacr.*
(*d*) *Præp. Evang. cap. IX.*

doctiores Critici opinantur. Origenes explicans ſignificationem nominis *Jeremiæ* ait: ἑρμηνεύεται μετεωρισμὸς Ἰάω *interpretatur exaltatio Jao*. S. Hieronymus (*a*) hæc poſterorum memoriæ prodidit: *Prius nomen Domini apud Hebræos quatuor literarum eſt* י, ה, ו, ה, *quod proprie vocabulum Dei ſonat, & legi poteſt Jaho*. Cum vero Heſychius explanaret vocem Ὀζείας ſcribit ἰσχὺς Ἰαώ; poſtea vero exponens aliam vocem Ἰωσίας hæc refert verba Ἰαὼ συντέλεια. S. Clemens Alexandrinus (*b*) ſcribit Ἰαοὺ propter varias vocales, quas Orientales eidem voci diverſe ſubiiciebant juxta opinionem Hugonis Grotii: Ἀτὰρ καὶ τὸ τετράγραμμον ὄνομα τὸ μυστικὸν ὃ περιέκειντο οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν λέγεται δὲ Ἰαοὺ, ὃ μεθερμηνεύεται ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐσόμενος. *Nomen literarum quatuor myſticum, quod circumponebant ſibi, quibus ſolis adytum ingredi licebat, dicitur Jaou, quod interpretatur, qui eſt, & erit*. Antiquitus Ἰευὼ Deus dictus fuit, veluti oſtendit Euſebius in fragmentis Hiſtoriæ Phoeniciæ, quam proprio idiomate exaravit Sanchoniaton, ac in Græcam linguam vertit Philo Alexandrinus, qui juxta Porphyrium imperante Ælio Hadriano floruit. S. Epiphanius (*c*) ſubjungit, Dei nomen eſſe Ἰαβὲ. Theodoretus narrat (*d*), vocari a Samaritanis Ἰαβὲ, ab Judæis Αἰα, vel Ἰα. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰαὼ, vel Αἰα, ubi tamen eſt Ἰα. Verum tunc non recenſentur quatuor literæ, velut hiſce conſtare hu-

(*a*) Sup. *Pſalm. VII.*
(*b*) *Strom. V.*
(*c*) *Hær. XL.* quæ eſt Archont.
(*d*) *Quæſt. XV. in Exod.*

hujuſmodi nomen aſſerit Theodoretus. Si quis vero dicat ne nomen quidem Ἰαὼ quatuor habere literas, tunc animadvertendum erit, quemadmodum oſtendit Voſſius [*a*], Jones caruiſſe litera *vau*, eamque retinuiſſe tantum inter Græcos Æolios, qui cum Latinis Ἰαύω dixiſſent. Græci pro litera *vau*, ſive V. conſonanti uti ſolent B. vel diphthongo OY. ideoque ſcripſerunt non Virgilius, ſed Βιργίλιος, & Οὐιργίλιος, quia *vau* inter β, & ου medium habet ſonum: Convertitur enim in B. ab illis, qui ſcribunt Ἰαβέ; in OY vero ab iis, qui Ἰαουέ legunt. Hac de re loquitur Clemens Alexandrinus in quodam fragmento, quod doctiſſimus Joannes Crojus [*b*] exſcripſit: Καὶ τὸ τετραγράμματον ὄνομα τὸ μυστικόν, ὃ περιέκειτο, οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν, λέγεται Ἰαουέ, ὃ ἑρμηνεύεται ὁ ὤν, καὶ ἐσόμενος. *Et quatuor literarum ſacrum, ac occultum nomen, quo rediмiti erant ii, quibus ſolis adytum ingredi licebat, effertur Jave, quod exponitur qui eſt, & erit.* Præterea refert Crojus quoddam Scholium nondum typis excuſum, a quo Ἰυὼ nuncupatur; ex hoc vero, & Ἐλκαὶ conſtare perhibetur Ἰωβὴλ, ac proinde Jubileum dicitur, velut annus Numinis Ἰυὼ, & Ἐλκαί. Quod autem ſpectat ad etymologiam Jubilei exiſtimat Voſſius plurimum hallucinari Scholiaſtem, cum Divinum nomen τετραγράμματον ſcribatur litera ו, illud vero Jubilei litera ב, hoc modo יובל:

XL. Jacchi nomen, quod ſuam acceptam refert originem Dei nomini יה, *Solem*, vel potius *liquorem*

L 2

(*a*) *De orig. & prog. Idol. lib. I. cap. XXXII.*
(*b*) *Sacr. & Hiſtoric. Obſerv. P. I. cap. 12.*

*rem* indicat. Sanctum hoc nomen *Jah*, ſeu *Jach* in ſacris Ethnicorum choreis exaudiebatur, atque hinc veriſimile admodum videtur in illis uſos eſſe nomine quatuor literarum, quamvis *Jave*, vel *Jahave* exprimerent. Nequaquam tamen contemnendam arbitror illorum opinionem, qui affirmant ex acclamatione יהוה Græcum illud effatum *ἰὼ Βάκχε* profluxiſſe: Solemnem enim fuiſſe quoque liquet illam militum in triumphis, ac repetitam quidem acclamationem *Jo triumphe*, prout Ἰὼ Βάκχαι, Ἰὼ Βάκχαι, item Ἰώ, Ἰὼ Δέσποτα, *Jo Bacchantes*, *Jo Bacchantes*, aut *Jo*, *Jo Domine*. Quo nam pacto hoc verbum *Bacchus* conſtet ex poſtremis literis vocabuli, nimirum יה nitide patet, quoniam *vau* ſæpius convertitur in B. ideoque Varro a Græcis ſcribitur Βάῤῥων. Cum Deus Iſrael dictus *Jah* omnia condonet peccata, mirum non eſt ſi Ethnici quoque Iſraelitarum veſtigiis inſiſtentes omnem peccati labem ob ſacras Jacchi res ex anima ejici poſſe putaverint. Hujuſce rei ſymbolum erat cribrum, quod myſtice ſignificabat, quod ſicuti eo frumentum excernebatur, ita ſacris Jacchi rebus anima penitus eluebatur. De hoc quoque ritu loquutus eſt Virgilius [a]: . . . . . . . . . . . . *Et myſtica vannus Jacchi*. Ethnici itaque quadam Divini nominis cognitione imbuti Numen ipſum vocarunt (b) τὸν δημιουργὸν μόνον Θεόν, ὃν Θεὸν Θεῶν ἂν εἴποι τίς, καὶ Θεὸν ὕπατον, καὶ ἄριστον. *Creatorem ſolum Deum, quem Deum Deorum dixerit aliquis, & Deum ſummum, & optimum*. Idem primus ſummus Deus ab aliis è

Geo-

[a] *Georg. I.*
[b] *Hierocl. in aur. carm.*

Gentilibus (*a*) nuncupatur Βασιλεὺς Βασιλέως, καὶ Βασιλέων, *Rex Regis*, & *Regum*: ἀρχὴ γὰρ ὄντως, καὶ Θεὸς Θεῶν, *principium enim ille*, & *Deus Deorum*: ἀρχὴ ἀρχῶν, καὶ Θεὸς Θεῶν, *principium principiorum*, & *Deus Deorum.* Mauri vocant ſuum Deum *Juba* (*b*), quem nonnulli unum eumdemque eſſe ac *Jova* opinantur. Alexander Trallianus Medicus quædam refert carmina adhibenda ad quemdam removendum morbum, in quibus hæc leguntur verba, nempe *Jas*, ſive *Jaz*, ſive *Jaoth*. Turcæ (*c*) itidem ſæpius utuntur nomine *Hu*, vel *Hou*, quod eamdem pene habet ſignificationem ac *Jehovah*. Porro illud ſcribunt initio reſcriptorum, literarumque patentium, ac ſæpiſſime ſuis in precibus illud iterare allaborant, neque deſunt religioſiſſimi quidam viri, qui tanta voce, ac vi exprimunt *Hou*, *Hou*, *Hou*, ut denique ſenſu carentes ſtupidi reddantur. Magnum vero Dei nomen, quod crebro pronunciant, illud *Allah* eſſe arbitrantur. ~~Inſuper ſimulant, ex hujuſce nominis~~ Noe arcam ſervaſſe, Japheth vero quadam in gemma ſculptum habuiſſe, cujus poſtea ſuos filios hæredes inſtituit. Demum penes Arabes, ac reliquos omnes, qui Mahommedis religionem profitentur, nomen *Allah* reſpondet nominibus Hebræorum אלהים ארני, atque יהוה, quod perſpicue Divinam naturam exprimit. Syriæ incolæ quando Divinum nomen proferebant ſupremum Numen *Jehuvo* nuncuparunt, alii

(*a*) *Plotin. Ennead. lib. V. cap. 8. Jambl. de Myſt. Sec. VIII. cap. 2. Simpl. ad Epict. cap. 38.*
(*b*) *Minut. Felix.* Vid. & *Lact. lib. I. cap. 25. Inſtit. Divin.*
(*c*) *D. Herbelot Bibliotb. Orient.*

alii *Jaoth* [a], quidam vero *Jabe*, vel *Joba* (b). Ludovicus Capellus nomen τετραγράμματον *Javoh* legendum eſſe contendit, Druſius *Jahue*, Ottingerus *Jehua*, Mercerus *Jehovah*, Caſtalius *Jovah*, Clericus *Jahvoh*, ſeu *Jahwoh* (c). Nihilo tamen minus veriſimilior eſſe mihi videtur illorum opinio, qui aſſerunt, penitus latere veram hujuſce nominis pronunciationem, ideoque nullo non tempore inſiſtendum veſtigiis Rabbinorum, Hebraicæque linguæ peritiſſimorum, qui cum magnum Dei nomen יהוה inveniunt אדני legunt, atque ob eam potiſſime cauſam pronunciandum eſſe credidi (XXXIII.) אדני, & non יהוה. Quapropter vera illius nominis pronunciatio exiſtimanda erit, veluti illa, inter quæ, ut luculenter ait Plato [d] διὰ δὲ χρόνου πλῆθος τὰ μὲν αὐτῶν ἀπέσβηκε, τὰ δὲ διεσπασμένα εἴρηται χωρὶς ἕκαστα ἀπ' ἀλλήλων, *longinquitate temporis alia eorum extincta ſunt, alia diſperſa, dicta ſejunctim ab aliis.*

F I N I S.

שבח לאל בורא עולם׃

IN-

(a) *Iren. lib. I. cap. ult.*
(b) *Epiph. hær. XXVI.*
[c] Vid. *Eduard. Bern.* in Joſeph. lib. III. *cap.* 7.
[d] *In Polit.*

# INDEX CAPITUM

## CAPUT I.

*De quibuſdam nominibus, quibus ab Hebræis Deus inſignitur.* pag. 1.

## CAPUT II.

*De origine Nominis quatuor literarum.* pag. 10.

## CAPUT III.

*De ſignificatione, atque etymologia Hebraici Nominis ineffabilis.* pag. 17.

## CAPUT IV.

*De obſervantia, quæ Nomini Divino ab Judæis tributa eſt.* pag. 31.

## CAPUT V.

*De magni Nominis Dei pronunciatione.* pag. 54.

## CAPUT VI.

*Veriſimilior opinio de veræ Nominis Dei pronunciatione oſtenditur.* pag. 59.

CAPUT VII.

*De quibuſdam aliis Gentibus, quæ Divinum Nomen nequaquam protulerunt.* pag. 70.

CAPUT VIII.

*De Nominis Divini cognitione apud Ethnicos.* pag. 77.

005657726